



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.


Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>







cet opuscule est en fait le  
"Viola anime per modum dyalogi inter  
Raymundum Sebundium artium medicine  
atque sacre theologie profensorem et  
dominum Dominicum seminivibium..."

(titre de l'éd. de 1501, Cologne)

L'auteur est le chartreux Pierre  
DORLANT (1454-1507); cf. Dict.  
de Spiz., t. 3, col. 1646-1651 - sur  
le Viola, col. 1648-50, et 1657 (bibliog.)

A 404 / 227

*Com. Sac. h. Sac.*

# RÆMUNDI


SEBUNDII,

de natura Hominis,

DIALOGI.

*Hi, & Christi, & sui ipsius cog-  
nitionem exhibent, nunc  
demum aucti, summâq;  
fide recogniti.*

*Dialogorum seriem & vetus præcipua  
tius libri capita sequens pagella indicat.*



*Ms. 27  
Voyage de*



L. V. G. D. V. N. I.

Apud Theobaldum Paganum.

8550.

**HIC LIBER SEPTEM  
COMPLECTITVR  
DIALOGOS,  
QVORVM.**

**PRIMVS** tractat de Natura hominis, in quantum homo est: & de his, que sunt necessaria homini ad cognoscendum seipsum, Deum, & proximum.

**SECUNDVS**, de Beneficijs Dei, & hominis obligatione.

**TERTIVS**, de Amore, & viribus eius, conditionibus & fructibus. Quomodo Deum optimum maximum debeamus amare.


**QVARTVS**, Quomodo debeamus Deū timere, adorare, laudare, & honorare. Et qualiter ad hoc obligatur homo.

**QVINTVS**, De lapsu miserabilis generis humani: Et quod per vnum hominē omnes cecidimus.

**SEXTVS**, De reparatione lapsi hominis: & quod per vnum omnes resurgimus.

**SEPTIMVS**, De mysterijs sacre passionis domini **IESV CHRISTI**, inter Mariam & Dominicum dialogus.

potest contradicere nemo: arguit enim per  
 ea, quæ sunt cunctis certissima. vt sunt ho-  
 mo, cæteræq; creaturæ: atq; ideò hæc sciē-  
 tia non alios testes exigit, præter homi-  
 nem, qui hæc norit. Nec te scādalizet rogo,  
 quòd à rebns infimis, & humilibus exordiū  
 sumit: hæc enim humilia ad summa te fasti-  
 gia subleuabunt. Quātò nempe in imo fo-  
 deris fundamentum, tantò celsiora calmi-  
 na poteris sublimare. Nam principia huius  
 artis res sunt, quæ & palpari, & certi pos-  
 sunt: quæ quanto sunt xliora,



...ponus igitur  
 tur, mi suauissimè Lectòr, nunc accesseris  
 animi tui lucra maxima reportaturus. Nū-  
 quā te liber iste dimittat, donec ingemitū  
 lachrymasq; soluaris, & scelerū tuorum te  
 poeniteat. Quia si tam dura præcordia posse-  
 deris, vt ingemiscere ac dolere non possis,  
 iam acriter pertimesce: quia cor durum ma-  
 le habebit in nouissimis.



ISAGOGÆ, SEV  
INTRODVCTIO IN  
hunc librum.

R A E M V N D V S.



N D E nunc venis, mi domi-  
nice? & quorsum sub hoc di-  
luculo maturas iter? D O-  
M I N I C V S. Huc ad te  
ppero, te quero, te desidero,  
mi R. emūde suauissime. R A E M. Gratif-  
icet ad te spes aduenisti: neq; enim

quis me  
tibus, ijsque rebus, quibus pro conuini vtili-  
tate absens fui, mirabilē te omnibus coram  
disputationem habuisse: qua sanctiorem,  
vtiliorem ve nemo se vnquā asserit audis-  
se: tātāq; fuisse virtutis, vt non illū vllate-  
nus arbitrentur hominem, neq; spem habe-  
re salutis, qui ea non fuerit à vitijs ad iu-  
sticiā permutatus. R A E M. Multūm mi-  
hi homines tribuūt: sed ipsi viderint, qua id  
faciāt ratione: ego fructū ingenij mei domi-  
no dicaui. D O M. Iustissimē id facis. Sed  
obsecro

obsecro te, (hac enim causa tam manè in tuum hūc agrum festinus descendi) ut mihi quæ illic à te disputata sunt, scriptis coràm exhibeas. R A E M. Scripta est fateor disputatio illa: sed hei mi Dominice, Aurelius Sulpicius amicus noster iā ferme mēsis est, librū illum, ut sibi describeret, asportavit. Quid igitur tibi nunc faciā? D O M. Nuncquid tu me vacuum patieris abire? nūquid ideò sine doctrina es, aut industriā omnem perdidisti, quia liber ille à te dimissus est? R A E M. Sed quid tibi vis faciā? D O M. Certè ut videam, aperi mihi lumē ingenij tui, & illam Sapientiam, qua librū illū Dei munere condidisti, rursū quæso mihi clemens aperias. Nihil tibi obfuerit, imò proderit multū, si rem tam salutiferam etiam septies resumpseris. Præstare etiam debes hoc amico tuo, quem tua dignatione semper ex animo charum habuisti, & in petitione tam necessaria non fatigari. R A E M. En pareo libēs votis tuis, & triū dierum disputationi me promptum exhibeo. Dū igitur materiā à fundamentis exordior, tu diligēter aspicias, & sapienter interrogato. D O M. Faciā quod hortaris. R A E M. ~~Animus humanus circa inquisitionem veritatis occupatus, nunquam ante quiescit, donec ad ultimum venit certitudinis~~

titudinis gradū. Virtus autem certitudinis  
 ex firmitate testimoniorū, seu testiū, gene-  
 ratur: qui quantò fuerint magis manifesti,  
 lucidi, propinqui: tantò certiozem fidem,  
 credulitatemq; constituunt. Verum quia  
 nulla res est magis nota, propinqua, intrin-  
 seca alteri, quā ipsa sibi: ideò quicquid per  
 propriā ipsius rei naturam ostendimus, id  
 solidissimum, id verissimum est. Et idcirco  
 omne quod de homine monstraturi nūc su-  
 mus, per ipsius hominis naturam, maximā  
 dictis nostris fidem facient. Sed quoniā ho-  
 mo longissimè exijt à semetipso, nec iam  
 habitat in natiua domo, ac per hoc nec sui  
 meminit, nec se cognoscit, nec quàm sit no-  
 bilis & ingenua creatura intelligit: ideò o-  
 mnino necessarium est, vt per res inferio-  
 res, quæ extra cognoscit, ad sui cognitionē  
 reuocetur. Vt ergo ad se possit ascendere,  
 scala trium graduum opus habet: quos dū  
 scandere, hoc est agnoscere incipit, incipit  
 & agnoscere semetipsum: id enim sum-  
 mopere est illi necessarium. Huius verò  
 scalæ gradus adeò solidi sunt, & robusti,  
 vt scandens tibiutare non possit, aut cadere.  
 Volens igitur homo ad seipsum introi-  
 re, ~~primò consideret rerum creaturarum ordi-~~  
 nem inter se. ~~Secundò comparet hominem~~  
 ad cæteras res penes conuenientiā & diffe-  
 rentiam

rentiam earundem. Tertio per hanc comparisonem ascendat homo ad seipsum, & à seipso ad omnium cōditorem Deum. Tu igitur, mi Dominice, si cupis in his quæ dicturus sum proficere, hanc scalam diligenter aspicio. D O M. En preparo tibi cordis oculos, tu mihi hāc scalā ocuis expone.

*Scala natura, per quam homo scandit  
ad semetipsum.*

C A P.

I.

R A E M V N D V S.



**D**ISPVTATIONIS igitur nostræ hoc sit exordium. Entium quedam sunt, quæ habent *Esse tantum*: sunt quæ habent *Esse, & Viuere*: sunt quæ habent *Esse, Viuere, & Sentire*: sunt postremo quæ habent *Esse, Viuere, Sentire, & Intelligere*. Hęc est scala naturæ, quæ omne in se Ens manifestè complectitur. D O M I N. Video scalam istam: sed quorsum per eam me iubes ascendere? R A E M. Dicam tibi: sed expecta parumper, donec hos scalæ gradus quaternos in suas partes breui sermone distinxero. D O M I N. En sisto pedem, tu verò progredere. R A E M. Earum rerū, Res quæ quæ habent esse tantum, multiformis differe habet essentia est. Nam etsi in hoc vno cōueniant, setātum,

quoddam habent Esse: recipiunt tamē hoc Esse, ista quidem clarius, ista verò obscurius. Inter elementa enim aqua dignior est terra, & ignis supra aquā & aërem multo præclarior. Iste gradus complectitur cūcta quæ generantur in visceribus terræ, ut sunt mineralia, & metalla omnia, argentum vivū, plumbum, ferrum, cuprum, stannum, argentum & aurum. Quid autem horum sit altero præstantius, facile est advertere. In hoc gradu est Lasurium, quod aurum pretio superat: sulphur, salpetra, sal gemma, & cūcti lapides pretiosi, ut sunt carbunculus, hyacinthus, smaragdus, amethystus, topasius, corallus. Hi omnes magni sunt pretij, magnæ pulchritudinis, & virtutis. In hoc præterea gradu sunt omnes cœli, omnia corpora cœlestia, omnes spheræ, sidera, & septena planetarum lumina. Artificialia quoque ad istū referuntur gradum: quæ etsi inter se de nobilitate compugnent, in hoc tamen cūcta conueniunt, quod Esse tantum habent, & nō Viuere. D. O. M. Cum voluptate te capio disputantem: verum ad secundum gradum proficiscere. R. A. E. M. In secundo gradu sunt illa omnia, quæ solum habent

Habētia Esse, & viuere: cuiusmodi sunt omnes plantæ, arbores, & herbæ. Hæ nempe vitam uere. tuam oculis nostris inspuant, dū videmus

cas sursum deorsum, antè & retro, ad dexteram sinistramq; moueri. Attrahunt è terra suum, vnde se nutriunt, alimētum: crescunt, augmentantur: & flores, frondès, fructus seminaq; producunt. Habent enim intra se virtutem quandā, qua facilè ista perficiant. Sub isto gradu innumerabiles ponuntur arborum & herbarum species, quarum inter se fructus, sapes, odores, virtutes, coloresq; longissimè separantur. Omnibus vna viuendi ratio: sed nobilitas dignitasq; non vna. D O M. Si fuerit quispiam, qui digne tur aduertere, facilè quæ dicis aspiciet.

R A B M. Porro in tertio gradu animantia **Esse, Vi-**  
cuncta recipimus, quibus esse, & viuere, & uere, &  
sentire indultum est. Ad sensum enim Vi- **Sētire ha-**  
sus requiritur, & Auditus, Gustus, Odoratus **bentia.**  
& Tactus. Ad istum gradum referuntur cun-

cta quæ mouentur in terris, vel in aquis, vel quæ in liquido aëre peruolitant. Considera nunc rogo quanta sit inter quadrupedes, pisces volucresq; distantia. Nam sicut genus à genere, ita & à speciebus species separantur. In animalibus autem tres gradus inuenies. Sunt enim quædam quæ habent sensum tactus, sed neq; auditum habent, neq; memoriam, vt sunt conchyliæ & minuta animalia, arborum & herbarum affixa radicibus. Et iste primus est atq; infimus gradus.

**Triplex  
animaliū  
differen-  
tia.**

dus. Hæc animalia, quia memoriã non ha-  
 bent, ideo nullam habent prudentiam, nec  
 se de loco ad locũ possunt promouere. Quæ-  
 dam verò sensum habent tactus & memo-  
 riam, sed auditu priuantur: vt sunt formicæ  
 & huiusce generis animantia, quibus memo-  
 ria est & prouidentia & motus localis: con-  
 gregant enim in cibum frumentorum gra-  
 na, ne hyemis tempore fame pereant. Et  
 hæc animalia sunt primis nobiliora, cum il-  
 la sint plantis propinquissima. Quædam præ-  
 terea sunt, quæ habent sensum tactus, me-  
 moriam, & auditum, vt perfecta quæq; ani-  
 malia, cuiusmodi est canis, bos leo, capra. Et  
 iste est tertius animalium gradus, qui ideo  
 est duobus primis nobilior, quia à plantis  
 est multò distantior. Nunc si libet hõs, quos  
 tibi naturæ gradus constitui, ocius ascen-  
 de, & in quod sublime te culmen promoue

Esse. Vi- rim faciliè deprehendes. D O M. Ecce vt  
 uere, Sen iussisti conscendi, & quartum huius scalæ  
 tire, & In gradum, quem tu nondum prosequutus es,  
 telligere celeri. calco pede. Nam in quarto gradu  
 habetia. meipsum hoc est Hominem constituo: cui  
 præter Viuere. & Sentire, subest etiam Intel-  
 ligere, discernere, Velle, & Nolle liberè. So-  
 lo enim libero arbitrio ascendit homo su-  
 pra cætera animantia, qui potest iudicare,  
 ratiocinari, & susceptibilis fieri experien-  
 tia,

tiæ, artis, scientiæ, atq; doctrinæ. Hoc modo completa cum suis gradibus naturæ scala conficitur. R A H M. Rectè tu, quidem. Nunc verò in summum huius scalæ cacumen constitutus, oculos quæso vndiq; circumfer, & intentissimò corde considera, quam habeat homo cum rebus se inferioribus conuenientiam, & quam teneat discrepantiam. D O M. En facio quod hortaris: tu tamen quò respiciendum ostendito.

*Quomodo homini cum rebus inferioribus conueniat.*

C A P.

I I.

R A H M V N D V S.

**S**I vigilantì oculo confideres, quam conuenientiam habet homo cū rebus trium inferiorum graduum, naturam, & dignitatem hominis perspicuè cognosces, & supra hominem Deum hominis conditorem intelliges: videbisq; dominum innixum scalæ, & ad ipsum poteris festinus ascendere. Dico ergo breuiter: homini conuenire cum rebus inferiorum graduum: quia habet Esse cum elementis, Viuere cum plantis, Sentire cum animalibus: completitur enim in se homo omnes perfectiones inferiorum entium. Nam & viuìt, & nutritur, & conseruatur ab elementis. Conuenit etiam ei cum rebus



rebus secundi gradus: nam sicut arbores & herbae viuunt, nutriuntur, crescunt, & gignunt, sic & homo. Pari modo cum rebus tertij gradus, cum quibus & sentit, videt, audit, sapit, odoratur, & tangit. D O M. Facile hanc ego conuenientiam animaduerto: hoc tamen ad magnam redundat hominis dignitatem, quod eas perfectiones, quas res habent interiores diuisim, homo possidet coniunctim. Omnia enim in se continet, quae in rerum natura bona sunt, nec aliquid potest sibi perfectionis adiungi. Sed rogo te, ut ex hac rerum omnium conuenientia Deum mihi ad oculum demostres. R A E.

Deus con Facile (ut credo) mihi concedis, res horum ditor ex quatuor graduum suas essentias, suas etiam rerum ad perfectiones à semetipsis nullatenus possi- inuicem dere. D O. Admitto equidem nullae etc- conuenientiam res seipsas aut producere possunt, aut tia demò perfectionis aliquid tribuere. R A E. Fa- stratur. tearis ergo necesse est, unum esse supremum- opificem, qui & hominem ipsum, & cuncta quae sub homine sunt, potenti manu con- stituit. Omnia enim ab ipso producta, om- nia commensurata & limitata sunt, omnia in numero, pondere & mensura confecta. Vnus conditor princeps, qui producta omnia ordinauit, vnus qui vnumquodq; in suo gradu constituit, vnus qui hoc gradus sta- biliuit

bilivuit, & certis vallavit limitibus. Hic talis ac tantus conditor D E V S est, sublimis, potens, terribilis; & non æstimabitur alius ad illū. Si me iuncto pede secutus es, Deum supra hominem invenisti, ad Deum per hos gradus ascendisti, & quomodo huic scalæ in nixus sit, luce clarius aspexisti. D O M. Asperi fateor, & tuæ doctissimæ demonstrationi gratias habeo. R A E. Est tamen & aliud quiddam, quod ex hac scala poteris intueri.

D O. Quodnam illud quæso? R A E M. Re- Vnum  
rum omnium vnum tantum esse condito- tatum ef  
rem, & gubernatorem Deum, quod quidem se Deum.  
ex his, quæ iam diximus, facile demonstra-  
tur. Licet enim in his quatuor gradibus sint  
plures, & innumerabiles res inter se admo-  
dum diuersæ: non est tamen nisi vnus ordo  
inter eas, & ad vnum aliquid referuntur.  
Ascendunt enim de gradu in gradum, & ad  
id quod dignius, cuncta contendunt. Vide-  
mus enim quoniam elementa plantas sub-  
intrant, & nutriunt, & fructiferas reddunt:  
fructus verò, fruges & herbæ intrant ani-  
malia, & ea nutriunt: Carnes autem anima-  
lium hominem cibāt, & ad incrementa per-  
ducunt: Corpora quoq; cœlestia, vt sol & lu-  
na, continuè influunt in ista inferiora, &  
ministrant eis vigorem & calorē & lumen  
Quia ergo vnus est omnium ordo, vnus  
est

est etiam omnium ordinator, vnus est artifex, qui tam diuersa vno ordine sociavit, D O M. Libens assentior: Nam & elementorum contrariæ qualitates nunquam possent vnò ordine ad inuicem pacificè sociari, nisi esset vnus solus moderator, qui omnia ordinaret. Video præterea innumerabiles rerum naturas ad vnã solam tendere naturam specificam hominis, vt eam in Esse conseruent. Currunt ergo omnia ad vnitatem, ad bonitatem, ad fortitudinem, ad conseruationem. Ex his colligo, humanam naturam tendere debere ad vnã solam naturam, sibi superiorem, & dominantem: cui debet ministrare, colere, inhærere. Vna ergo & sola est supra hominem natura, quam Deum & dominatorem & rerum principem nominamus. R A E M Probe me intelligis. Sed hunc rerum omnium principem Deum, non vnum esse specie, sed numero. Deus vn⁹ numero, necesse est vt agnoueris. D O M. Vehementer assentior. Decet enim eam naturam, quæ supra hominem est, non solum vnã esse, imò magis vnã quàm sit humana natura. Sed in humana natura reperitur vnitatis specifica: ergo diuina natura est indiuiduo vnã: aliter non esset magis vnã, quàm sit humana natura. Restat igitur hoc inferendum, Quòd sicut omnes naturæ

trium

trium graduum inferiorum cum humana natura colligantur, ita humana natura (quæ est vna sola specie) colligata est cuidam superiori naturæ, quæ tota est vna numero.

Et sic mundus totus in vnum collectus finitur & consummatur in summa ac simplici vnitæte qua nulla potest maior æstimari. Non est igitur nisi vnus solus Deus & in simplici indiuiduo, vnum numero.

R A E M. Luculenta assertio tua: efficacior tamen erit, si affirmes non solum vnum Deum esse: sed & impossibile esse plures esse Deos, quod tali ostenditur ratione. Si enim essent plures, aut essent inter se contrarij, aut amici. Si contrarij, nulla ratione rerum ordo ad vnitatem conflueret, nec diu pacificus perduraret. Si verò inter se fuerint amici aut sunt sibi mutuo necessarij, aut vnus sufficit sibi. Si dixeris eos sibi necessarios, vt alterius ope alter indigeat, tunc per se quisq; est impotens, imbecillis, inscius, ignauus: & sic nulla poterit esse rerum creatio, nec moderatio, sed nec conseruatio quidem. Si verò vnus per omnia sibi sufficit, superfluum est alterum ponere. Sed nec rerum natura id vllatenus admittit. Non enim opus est gemino sole, neq; vt homo duo capita habeat, cum vnum sibi sufficiat. D O M. Concipio rationem. R A E M.

b Cōcipias

Deus a- **Concipias etiam necesse est, hunc Deum a-**  
 ctu infi- **ctu esse infinitum. Si enim humana natura**  
 nitus. **est infinita possibilitate, quia quantum ad**  
**se attinet, multiplicabilis est in infinitum;**  
**mare enim existente & foemina, nihil ob-**  
**stat quin tertius generetur. Ignis quoq;, si**  
**apponas cōbustibile, crescere potest in in-**  
**finitem. Si ergo hæc sunt possibilitate infi-**  
**nita, sequitur quod natura diuina (quæ fa-**  
**cta non est, & est omnium maxima) erit a-**  
 ctu infin- **ita: quia inter actum & potentiam**  
*luc est / q* **nullum est dare medium. Et quia natura**  
*dari potest* **non potest multiplicari per indiuidua, re-**  
**linquitur, quod in vno indiuiduo est actu**  
**penitus infinita. D O M. Mirabile ex hæc**  
**nostra disputatione de Deo lumen concipio.**  
**R A B. Maiora videbis, cum tibi cœ-**  
**pero demonstrare. ex his quatuor præfatis**  
**gradibus, Deum habere Esse, Viuere, Senti-**  
**re, & intelligere. D O. Oro vt mihi ocuis**  
**ista demonstrares.**

*Deus quomodo habeat Esse, Viuere,  
 Sentire, & intelligere.*

C A P.

I I F.

R A B M V N D V S.

**C**Um certissima ratione constet, Deum  
 cuncta creasse, & Esse, Viuere, Sentire,  
 & intelligere humanæ contulisse naturæ:  
 qui ergo hæc alijs beneficia manu concessit, mal

fit, multò magis in semetipso & uiuit, & sentit, & intelligit. Non enim hæc alijs conferre posset, si in se vacuus esset. Et hæc quidem in genere raptim dicta sunt: nunc specialius, quomodò Deus esse habeat, insinuamus. Esse Dei nec habet exordium à nihilo, nec ab alio, nec ab ipso met Deo. **D O M.** **Esse Dei.** Tria hæc quæ nunc enumerasti, da operam, rogo, ut expressius manifestes. **R A B.** Dixi Deum non accepisse Esse suum à nihilo, nec ab alio quoquã, nec à seipso. Non à nihilo, quia non ens nihil producit, nihil cõstituit. Nõ etiã ab alio quolibet superiore, vel priore, quia tunc verè Deus creatura esset, nõ creator, factura nõ factor. Non etiã habet suũ Esse à semetipso, ita ut sibi ipsi tribuerit Esse quod habet: quia tũc aliquando Esse nõ habuisset, quod absurdũ est dicere. Nõ refragaris puto. **D O.** Credo vera esse quæ dicis. **R A B.** Considera nunc præclaram esse Dei cõditionẽ. Vnde quia Deus Esse suũ nõ recepit ab aliquo, nec à seipso ided non recipit multitudinem, conjunctionem, cõpositionẽ, diuersitatem: sed est simplicissimum, purissimũ, indiuisibile, & summè vnũ. Deus præterea est, Suum met esse, & Totum esse, à quo non esse longissimè separatur. ~~Omnia nempe quæ præter Deũ habent Esse, habent Non esse sibi coniunctũ: Deus~~

verò in infinitum à se abigit Non esse, & ante se, & post se: & ideo Deus est ens in-  
terminatum, infinitum, æternum, sine prin-  
cipio, sine fine. Et quia Esse Dei excludit à se omne Non esse: idcirco continet in se quicquid pertinet ad Esse. Atque idè infinitos gradus & rationes & modos essendi intra se complectitur. Sicuti si esset aliquis numerus actu infinitus, hæc infinitas numerorum species in se veraciter continereat. **D O M.** Intellego optimè cuncta quæ loqueris: quia nisi dominus Deus noster infinitos essendi modos intra se concluderet, posset augeri, & crescere in his, quæ non haberet; nec esset completus, nec perfectus Deus, essetq; Non ens sibi constitutum: quod impium est asserere. Relinquitur ergo, quod Deus est Ens actu altissimum, completissimum, perfectissimum, & maximum. Est præterea immutabilissimum: quia si mutaretur, haberet Non esse loci ad quem. Et idè est in omni loco, in omni tempore, non habens præteritum, neq; futurum: sed tantùm Esse præsens: id est, nihil noui acquirere potest, nec perdere quicquam. Est igitur Deus fons & mare essendi infinitum, sine mensura, sine termino, sine fundo. **R A E M.** Puto te etiã intelligere, vt quoniam diuina essentia excludit à se omne Nō esse, idè non posse

posse esse plura entia infinita. Si enim duæ  
 essent infinitæ substantiæ, Esse vnus non  
 esset in altero, & sic neuter Deus esset per-  
 fectus, & infinitus: cum vterq; heberet sibi  
 coniunctum Non esse alterius. Præterea,  
 quia Deus abijcit à se omne Non esse: ideo  
 debilitas, impotentia, ignorãtia longissimè  
 ab eo remouentur. Tenemus ergo Deum  
 summæ esse virtutis, potestatis, sapientiæ, &  
 maiestatis: cui vni soli creandarum rerum  
 potentia tribuatur: D O M. Habent hæc,  
 quæ dixisti, ex præcedentibus consequen-  
 tiam: vnum tamen abs te interrogo, Deus  
 quia abigit à se omne Non esse, ideo neces-  
 sariò intra se continet omne Esse. Sequitur  
 ergo quòd Deus habet in se esse terræ, esse  
 aquæ, esse aëris & ignis, esse quoq; asini, bo-  
 uis, leonis. Sed nunquid Deus terra est, aut  
 aër, aut ignis, aut asinus, aut leo? Quis sanæ  
 mentis ista dixerit? R. A. E. M. Facile respon-  
 deo. Duplex autè est Esse terre, aëris, ignis,  
 omniumq; rerum conditarum: Vnum quod  
 in se habent, & in natura propria, quam vi-  
 demus. Aliud quod in suo habent condito-  
 re, quod videre non possumus. Res ergo  
 creatæ iuxta esse quod habent in sua na-  
 tura nullatenus sunt in Deo: quia Esse Dei  
 tale Esse habere non potest: cum sit ipse  
 incompositus, indiuisibilis, immutabilis,  
 b 3 æternus.

Obiectio  
 quæ fit  
 ex rō quæ  
 tra

Obiectio  
 dilutio.  
 per hanc  
 distincti



*Axioma* ~~æternus. Omnia autē creata de se sunt cor-~~  
~~ruptibilia, composita, mutabilia, finita: tali-~~  
~~ter ergo nō sunt in Deo. Sed quoniā Deus~~  
 habet in se omne Esse, idē omnes res crea-  
 tæ sunt in Deo, vt in suo creatore, modera-  
 tore, cōseruatore. Cape manifestum exem-  
 plum: Domus quam tu fabricasti habet du-  
 plex esse: Vnū, quod extra videmus in pro-  
 pria natura: Aliud, quod non videmus, in  
 mente artificis. Ita & de rebus creatis in-  
 tellige. **D O M.** Sed si Deus abiicit omne  
 Non esse, idē nullum Esse, potest extra  
 Deum haberi: sed creaturæ habent (vt cer-  
 tum est) Esse reale extra Deum: ergo vel  
 tale Esse est etiam in Deo, vel Deus nō ha-  
 bet omne Esse. **R A E M.** Fortiter me pre-  
 mis: Primū dico, Separa mihi ab omni re  
 creata omne compositum, omne corrupti-  
 bile, omne finitum, mutabile, cadūcum, di-  
 uisibile, & breuiter omne quod sonat im-  
 perfectionem, atque indigentiam: Quod-  
 dum feceris, vide si non tunc omnia creata  
 sunt in Deo, imō ipse Deus. Habet ergo  
 Deus omne Esse reale rerū intra se: seclu-  
 sa tamen à rebus omni imperfectione, quæ  
 Deo perfectissimo admisceri non potest.  
 Dico secundō, Omnia entia esse in Deo se-  
 cundum triplicem causæ respectum. Exem-  
 pli gratiā, Domus fabricata respicit primō  
 suum

suum artificem, vt causam efficientem : secundò vt causam exemplarem , propter similitudinem quam in suo gerit opifice: tertio vt causam finalem , propter quem domus ipsa sumpsit originem. Pari modo de rebus creatis, & suo cõditore cogita, in quo sunt, vt in sua causa efficiente, formali & finali: non autem materiali: quia mundus ex nihilo, agente Deo, constitutus est. Est etiã Mũdus in Deo, vt in suo gubernatore, prouisorio, conseruatore , propagatore. **D O M.** Adiutus sum responsis tuis : at quoniam in rerum productionem indicimus, oro te, vt quomodò à Deo mũdus procreatus sit, breuiter edisseras. **R A B M.** Faciam quod precaris. Primò noueris, Mundum per modum artis à magno Deo, non natura , neque ex necessitate productum. Nam ex quo Deus habet arbitrium liberum, idè omnia producit intellectu & voluntate. Et quia mundi productio est artificialis, idè non est de natura sui opificis. Prætereà sicut artifex producit domum iuxta similitudinẽ quam gestat in mente: ita & Deus pulchrum, pulcherrimus ipse, mundum mente continuit, & simili imagine extra in esse constituit. Et sicut artifex ante productionem habet intellectu formã, & similitudinem rei producendæ , aliàs eam producere posset : Ita

Quomodo Deus creauerit mundũ.

Deus nunquàm extra se mundum formar-  
 ret, nisi ipsam ideam mundi prius in mente  
 sua teneret. At quoniam Deus hanc mundi  
 similitudinẽ non potuit aliunde ab aliquo  
 extrinsequo recipere, idè ab æterno eam  
 in suo retinuit intellectu: ac perinde mun-  
 dus est in Deo æternus, atq; id ipsum quod  
 Deus. Verum quia Esse Dei est multò præ-  
 clarius, dignius ac nobilius, quàm Esse mū-  
 di, extrà producti de nihilo: idè dignius &  
 illustrius Esse habet mundus in Deo, quàm  
 in semetipso. Præterea sicut artifex ipse po-  
 test innumeras domus producere per do-  
 mum quam gestat in mente: ita & Deus, si  
 vellet, infinitos adhuc mundos formaret  
 ex mundi imagine quam retinet in corde.  
 Et sicuti artifex meliori quâ potest indu-  
 stria, & iuxta condignam exigentiam do-  
 mum producit: ita & Deus mundum, quem  
 condidit, summa & condigna perfectione  
 donavit. Verùm in hoc fallit exemplum ar-  
 tificis & conditoris. Nam quoniam artifex  
 solam ponit formam in materia, nec tamẽ  
 facit ipsam materiam: idè non necesse est  
 vt semper cum sua domo permaneat: po-  
 test enim domus persistere ipso ruente. At  
 non ita est inter creaturam & plastem suũ:  
 Deus nempe non solùm ponit formam in  
 materia, sed & ipsam materiam de nihilo  
 produ

producit. Idcirco mundus necessariam ha-  
 bet continuam præsentiam Dei: nec posset  
 ad momentū vnum persistere, sed per præ-  
 ceptis iret in nihilū, si suam illi Deus subtra-  
 hat manū. Portat igitur Deus robustissima  
 manu sua mundū vniuersum, illū creās, illū  
 moderans, conseruans, & ad finem debitū  
 cuncta perducens. At quoniam hīc celsissi-  
 mus conditor continuè mundum cōseruat,  
 & manu retinet, ne ruat in nihilum: ideo  
 clarè relinquitur, quòd etiā continuè mun-  
 dum creat: sicut Sol sine intermissione suos  
 in aëre radios format. Nisi enim incessan-  
 ter Sol à se radios diffunderet, radiorū cla-  
 ritas contabesceret. Ita & mundus repente  
 deficeret, si non continuè à Deo crearetur,  
 & seruaretur. D O M. Ex his quæ doctè nūc  
 perorasti, hæresis Peripateticorū Philoso-  
 phorum facilè conuellitur, qui mundū gar-  
 riunt ab æterno fuisse: quod si verum esset,  
 nunquàm potuisset à Deo creari, nec ege-  
 ret gubernatione, conseruatione, directio-  
 ne. Et ergo (vt tu asseris) in tempore, & de  
 nihilo à Deo productus, nō necessitate, sed  
 sola Dei voluntate, dulcedine, bonitate, li-  
 beralitate. Dum ergo respicimus ad mun-  
 dum, quem in tanta maiestate de nihilo for-  
 mauit: apprehendimus dominū Deum no-  
 strum fortissimum, omnipotentissimum;

+ quædam per  
 nō est creatus  
 sed a se ipso  
 et non a Deo  
 et non a se ipso

æternum, infinitum, incommutabilem, ac summè vnum, immensæ maiestatis, gloriæ, ac celsitudinis, qui de Non esse vniuersa constituit, retinet, & moderatur. Hinc vehementer exulto, dum huius admirandi operis in me facturam considero: & cum de nihilo sim ab eo formatus, principalior tamen & dignior pars sum vniuersi, sub ipso rerum omnium caput & dominus. Gaudeo igitur, & tibi Ræmundæ gratias maximas habeo, qui me in id perduxisti, vt nouerim me habere tam nobilem, tam sublimè, tam beneficum creatorem: qui me, cum non essem, nobiliter creauit: creatum verò cõseruat, regit, & dirigit. At nunc vnde paululum digressi sumus, ocius reuertamur.

*Sicut Deus habet Esse, ita habet & Viuere, Sentire, & Intelligere.*

C A P

I I I I.

R A E M V N D V S.

**A** Nimaduertisti quàm fructuosus tibi fuerit excursus noster: verùm, vt hortaris, sicut paulò ante de Esse Dei diximus, ita nunc quomodò Deus Viuere habeat, differemus. Sicuti per esse mundi quod cernimus, arguimus aliud Esse quod non cernimus: sic per ea, quæ videmus in mundo viuere, Deum viuere manifestè colligimus. Nunquàm enim mundus viueret, nisi Deus antè

antè vixisset. Præterea cùm Deus necessariò habeat Esse, habeatq; quicquid conuenit cum Esse: cùm Esse Dei separet a se omne Non esse: ideò necessariò habet, & Viuere, quia Viuere conuenit cum Esse. Viuere enim ipsum Esse nobilitat, & illustrius reddit, vt videmus ad oculus in creaturis. Si enim Deus haberet Esse sine Vita, Sensu, & intellectu: tunc Esse Dei non include ret omne Esse, quia Vita, Sensus, & Intellectus sunt res reales, quæ ab infinito Esse separari non possunt. Et ideò manifestè colligitur, vt quia habet Esse, habet necessariò & Viuere, & Sentire, & Intelligere.

D O M. Nihil verius: sed quia Deus est Ens Viuere & simplicissimum, & summè vnum, sine com Intelligence positione, sine diuisione, ideò Viuere Dei re i Deo est omnino idem quod suum Esse: nec Sen idè sunt tire, aut intelligere quicquam aliud sunt in qd Esse Deo, quàm viuere. Et quia Deus est suum Esse, & Esse Dei idem est quòd Deus, ita Deus est sua Vita, suus Sensus, suus item Intellectus. Et quemadmodū Deus excludit à se omne Non esse, omne scilicet Non esse negatiuum, & Non esse priuatiuum: ita excludit omne Non viuere, Non sentire, Nō intelligere. Et ideò ab æterno & in æternum Deus viuit sine principio, sine fine. Ideò solus habet immortalitatem: quia suæ perpe

perpetuæ vitæ non potest adscribi permutatio, nulla fieri additio, nulla alteratio. Et quia Deus est sua Vita, idè est tota vita, nec est quicquam aliud, quàm ipsamet vita. Hinc sequitur, quòd omne creatum viuit in Deo, & ideo Deo omnia viuunt, nec aliquid in Deo moritur. R A E M. Pulchrè admodum intelligis dictum nostri Euangelistæ, Quod factum est in ipso vita erat. Nam ex quo omnia viuunt in Deo, creaturæ omnes quæ nunc viuunt, etiã antequàm in se viuerèt, in Deo viuebant. Verùm nūc

**Sentire  
Dei.**

de ipso Sentire pauca dicamus. Sicuti enim Deum quoque (qui sensum illum largitus est) sentire cognoscimus. Prætereà si Deus habet omne Esse, habet & Sentire: quia Sentire est Esse, & valde nobile Esse: idè necessariò est in Deo: alioquin non excluderet à se omne Non esse. Et sicuti Deus est suum esse, & suum Viuere, ita est suum Sentire: quia Viuere, & Sentire non faciunt in Deo vllam distantiam. Relinquitur ergo quia Deus audit, videt, odorat, sentit, & tangit. Non tamen eo modo, quo id animantibus conuenit, sed inuisibiliter, spiritualiter, realiter tamen. Ex his verò quæ nunc de Esse, Viuere, & Dei Sentire diximus, puto te optimè comprehendere, quid de suo Intel-  
ligere

ligere dicere debeamus. D. O. M. Compre- Intelligē  
 hendo planè : necessariò enim sequitur, vt re Dei.  
 qui homini Intellectum tribuit, cùm is sit  
 inter Dei munera nobilissimus, ipse quoq;  
 Intellectum habeat oportet. Et quia Intel-  
 ligere esse, imò præstantissimum Esse: idè  
 si Deus habet omne Esse, habet & Intelli-  
 gere. Præterea sicut Esse Dei est incommu-  
 tabile, nec præteritum recipiens, nec futu-  
 rum, sed præsens solùm: ita Intellectus Dei  
 non discurrit ab vno in aliud, sed sunt ei ab  
 æterno præsentia omnia. Et sicut non eget  
 Deus aliquo ad essendum: ita nullo indi-  
 get, ad Intelligendum. Quia verò Esse Dei  
 est infinitum, & continuè suum Esse intel-  
 ligit, idè semper intelligit infinitum. Et  
 quia in suo Esse totus est mundus, & quic-  
 quid adhuc esse potest: intelligens ergo suū  
 Esse, totum mundum simul intelligit, &  
 quicquid potest Esse. Et sicut in Deo sunt  
 omnia simul, ita simul omnia intelligit, vi-  
 det, & cognoscit per suū Esse, tanquam per  
 speculum vniuersale, quod est omnium re-  
 rum communis idea. At verò quoniam tan-  
 tum est suum Intelligere, quantum & suū  
 Esse, idè cum summa voluptate intelligit  
 se habere æternum Esse, æternum Viuere:  
 se esse immortalem, omnipotentissimum,  
 perfectissimū, & id verissimè se esse, quod  
 in ve



in veritate est. Et quia Esse atq; Intelligere in Deo idem sunt: idè & se intelligere intelligit, & sapere cognoscit. Præterea quia Deus habet in se omne Esse, & omnes essendi gradus: intelligens ergo suum Esse, intelligit simul infinitos existentie gradus: atq; idè actu intelligit totum Esse mundi, & omnes species, naturas omnes, & individua omnia: & quicquid vnquam aut fuit, aut est, aut futurum est, aut esse potest. Vno ergo intelligentiæ obtutu terribilis ille maiestatis oculus videt, numeratq; totam arenam maris, aquarum & pluniarum guttas: omnes partes terræ, & quæ in terra, aut in visceribus terræ, aut in vndis & fluminibus generantur. Omnes itidem stellas cæli, virtutes & cursus earum, omnes dies seculi, & horas, & momenta dierum, herbas, & herbarum vires, arbores omnes, fructus & frondes, semina & grana omnia. Hominum quoq; dæmonum & angelorum cogitationes, intèntiones, desideria, opera, & verba singulorum: omnia videt, omnia nouit, omnia discutit, & quicquid abditissimum est, clarissimè comprehendit. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius. Ex his manifestissimè lucet Dei intelligentiam, Dei notitiam infinitam esse, innumerabilem, incomprehensibilem. R. & A. M. Cum ingenti gaudio.

gaudio te hæc audio differentem. Optimè  
 comprehendis incomprehensibilē esse Dei  
 Essentiam, vitam, sensum, atq; intellectum:  
 quæ quia in Deo vnum sunt, qui vnum po-  
 nit, omnia ponit: & qui vnum tollit, omnia  
 tollit. Qui enim dicit Deum, non intellige  
 re, negat & Deum esse. Et quia Ens Verum  
 & Bonum conuertuntur, qui negat Deum  
 esse, negat Deum & bonum & verum & iu-  
 stum esse. Sed patere quæso vt paulò lon-  
 gius te protraham. D O M. Patior quod vis.  
 R B A M. Vidēsne igitur ex his, quæ iam di-  
 ximus, manifestè sequi, vt consequenter di-  
 camus, Deum incorporeum esse, & liberum  
 habere arbitriū? D O M. Per rimas (aut aiūr)  
 hæc utcunq; video: oro tamen vt palàm mi-  
 hi ista demonstrēs. R B A M. Diximus suprā  
 idem esse in Deo Intelligere, Sentire, Viue-  
 re & Esse: sed Intelligere est spirituale, er-  
 go & Sentire & Viuere & Esse in Deo pe-  
 nitus est spirituale. Est ergo Deus natura  
 spiritualis, incompressus, impartibilis, sim-  
 plicissimus. Hinc sequitur, quòd Deus est  
 corporeus, impalpabilis, inuisibilis: neq;  
 aliquo sensu corporeo perceptibilis. D O M.  
 Hic pulchrè eliditur hæresis Antropomor-  
 phitana, quæ asserit Deum habere humani  
 corporis effigiem, hominemq; iuxta hanc  
 membrorum suorum descriptionem ad suā  
 imagi

imaginem condidisse. Hunc errorem nequissimus impostor Mahometus in suo Alchorano, & Iudæi in suo libro, quem Thalmud vocitant, longissimis fabulis prosequuntur. Nos verò qui scimus, quoniã spiritus est Deus, ipsum in spiritu adoramus. Hinc Deus optimus maximus homini intellectum contulit, à quo solo potest cognosci, diligi, reuereri. Horũ gratia homo post mortem accipit Deum pro munere, inuisibilem, immensurabilem, incapabilem. Intellectus enim humanus aded nobilis est, vt non possit, caducis & visibilibus bonis munerari: & ideò bona intellectus sunt spiritualia, æterna, infinita, semper permanentia. Nunc de secundo, scilicet, Quòd Deus habeat liberum arbitrium ocius exequere.

*Deum habere voluntatem, & Liberum arbitrium.*

C A P.

V.

R A E M V N D V S.

**Q**Uum homini Liberum contulerit arbitrium Deus, manifestum est, quòd & ipse Liberum arbitrium habeat: quia nemo dat, quod non habet. Prætereà si Deus habet Esse intellectuale, habet etiam & Velle: quia Intellectus sine Voluntate esse non potest. Et sicut Deus habet Esse primũ, ita

ita Voluntas eius est prima voluntas, nec sequitur ullam aliam voluntatem: idcirco quicquid Deus vult, sua id vult propria voluntate. Et quid in Deo Esse, & Velle idem sunt, ideò quæcunq; de Dei Esse supra diximus, de sua voluntate dicere tenemur, quòd videlicet est immutabilis, inuariabilis, æterna, cõpletissima, plenissima omnipotentissima. Et sicut Deus intelligit se primò, & suum Esse, ita vult primò seipsum, & suam plenissimam perfectionem. Et quemadmodum habet, ita, & cupit sibiipso omne bonũ, omne gaudiũ, omne solatiũ. Est ergo in continua, iugiq; letitia, & habet æternum gaudium intra semetipsum. Præterea, cum Voluntas in Deo idẽ sit quod Intellectus, Tres operationes  
 cuius prima operatio est intelligere verba, rationes  
 sensumq; verborũ: Secunda, Discutere per Intelle-  
 rationẽ, an res intellecta vera, an falsa sit, ctus.  
 iusta vel iniusta. Tertia operatio, Quod verum & iustũ est approbare: reijcere autem quod falsum est. Quia ergo Voluntas, & Intellectus in Deo vnum sunt, non potest sua voluntas ab intellectu discordiam facere: ideò Deus nihil potest velle contra rationem, nec contra iustum iudicium intellectus. Idcirco diuinæ operationes iustę sunt, rationabiles, ordinatę, sanctę & verę: & Voluntas eius semper est rectissima,  
 c iustissima

iustissima, ordinatissima, & prima regula, quæ obliquari, & in trāsuerſum duci nō potest, nec à veritate vllatenus declinare: cū sit ipsamet veritas. Quæ etsi mala aliqua, atq; iniusta fieri permittat: nunquàm ita mē ea inordinata relinquit, sed ea semper dirigit in bonum finem. D O M. Hinc manifestè colligitur, nunquàm debere hominē murmurare contra voluntatem Dei: sed æquo animo perferre, quicquid in illum diuina censura decreuerit. Et ideò voluntas, quæ ab hac diuina & prima voluntate discordat, tortuosa est, inordinata, iniusta, pœnis digna atq; supplicijs. R. A E M. Verum asseris: sed nunc sequere me quæso, & ex cognitione Libri arbitrii de Deo tuo stupēda, magnificaq; cognosces. Ex quò enim in Deo est liberum arbitrium, atque æternū: ideò diuina libertas est prima, æterna, summa, plenissima, quæ à nullo vnquā aut deprimi possit, aut violari. Hinc sequitur, quod habet omnia quæ summæ cōpetunt libertati. Et ideò Deus quicquid vult, est: & quicquid non vult, nō est: & eo modo quo vult, & sicut vult, est. Est ergo talis, rātusq; qualis, quantusq; vult esse: alioquin sua voluntas esset restricta, & impedita, nec in summa cōsisteret arce libertatis. D O M. Omnino necesse est ita fateri: idcirco consequens

quens est, Deum esse omnipotentem, summè bonum, summè benignum, summè iustum, misericordem, omnia scientem, omnia quæ vult de nihilo procreantem. Nam talè se, ac tantum esse vult, atque desiderat. Est ergo summus dominus, summus imperator, solus bonus & potens rex: cui subest cū voluerit Possesse, cuius virtuti nemo resistit, cuius sapientiam nemo fallit, cuius dulcedini se nemo subducit. R. A. B. M. Magnificè tu quidem: nam plena libertas arguit Deū omnipotentem, cum summa sapientia, & summè sapientem cum summa potentia. Cū enim in Deo hæc vnum sint, tantum potest, quantum intelligit: & tantum intelligit, quantum sufficit: alioquin vnum atque idem numero esset seipso maius & minus. Verum licet Esse, Vivere, Intelligere, Velle, &c. omnia in deo vni sint: aliqua tamen appropriatè magis vni tribuuntur, quàm alteri. Nam quia Deus Vivit; ideo est immortalis, imparsibilis, incommutabilis. Et quia Intelligit, ideo est summæ sapientiæ, summæ industriæ: omnia regēs, omnia prospiciens. Quia verò omnia potest, ideo omnia quæ vult producit, destruit, & rursus cōstruit: & omnē altitudinē se extollētem comprimit, & extinguit. At quoniam Deus bencuolam voluntatem habet, ideo est

bonus, mitis, benignus, præstabilis super  
 malitia, iustus, sanctus, rectus & verus. Hæc  
 factis ex his, quæ supra diximus, elucescunt.  
 At nunc paululû sublimi<sup>9</sup> oculos attolamus:  
 & qui iam per Esse mundi ad Dei Esse cõ-  
 scendimus, cognouimusq; , hunc mundû de  
 nihilo, & ex tempore à Deo productum:  
 indagemus quæso adiutore Deo, vt per hãc  
 manifestã productionẽ aliam inuenire pos-  
 simus, multò ista meliorem, digniorem, su-  
 blimiorem. **D. O. M.** Nõ erit in eo iudicio  
 graue, hanc productionem, licet admodum  
 occultam, inuenire: si tamen mentis aciem  
 acriter intendimus. Nam hæc de nihilo mû  
 di productio pandit nobis excellentiã, po-  
 tentiam, sapientiam, & bonitatem magnã  
 dei. Sed multò nobilior, altior, & melior si-  
 ne vlla comparatione esset illa productio  
 de sua infinita & altissima essentia, quàm  
 ea, quæ de nihilo est: tantoq; præstantior,  
 quantum distat diuinum atq; æternum. Ef-  
 se à nihilo. Videmus ad oculum, hominem  
 producere domum, non in quantum homo  
 est, sed in quantum artifex est: & hanc do-  
 mum non de sua facit natura, sed materiã  
 aliena. Producit quoque de sua natura ho-  
 minem similem sibi, in quantum homo est,  
 viuentem, rationisque capacem, ad imagi-  
 nem, & similitudinem suã. Sed multò præ-  
 clarior

clarior, magisq; radicalis, & cōueniens est homini, in quantum homo est, sibi similem in natura producere, quā more artificis domum extra se de aliena substantia formare. Hoc exemplo duplicem in Deo productionem esse mōstramus, vnā qua vt artifex mundū de nihilo creauit: aliam qua tāquā Deus de sua substantia filium edidit.

*Deum de sua natura produciſſe Deum, rationibus aliquantis ostenditur.*

C A P. VI.

R A E M V N D V S.

**S**olidum satis fundamentum posuisti: nunc superest vt aliquantis rationibus probem, Deum de sua substantia Deū produciſſe. Si Deus voluit aliquid producere de nihilo, multò amplius voluit aliquid producere de ſemetipſo. Si voluit, ergo & potuit: alioqui non est omnipotens. Nunc ergo, quia complacuit ſibi mundum de nō ente producere: multò magis complacuit ſibi de ſua propria natura Filium generare. Iſtud cogimus dicere, ne illi aut Impotentiam, aut Triftitiam aſcribamus. In ſumma enim triftitia, & impotentia Deus erit, ſi generare Filium voluit, & non potuit. Prætereà, quantò creaturæ à Deo productæ magis ſunt illi ſimiles, tantò eas ma-



gis diligit, atque cōplectitur. Summè ergo illum diligit, quem de sua natura sibi simi- lem generavit. Vt ergo sit in Deo summus complacentiæ & amoris gradus, necesse est ponere alium de sua essentia productū, in quo sibi summè complaceat. **D O M.** Satis hæc ratio prægnās est: nam si Deus gaudet societate alterius de non esse producti, & delitiæ eius sunt, Esse cum filiis hominum, multò iucundius in societate Filij, sibi omnino simillimi gratulabitur. Verū tu quod cœpisti prosequere. **R A E M.** Deus est realissimè infinitus, immensæ virtutis atque vigoris: nā summa natura est summè acti- va: ergo necessariò sequitur, quòd sit in eo productio infiniti. Sed productio mundi, non est nisi productio vnus puncti, respectu infiniti Dei: & quia etiam impossibi- le est, quòd infinitum in actu possit produ- ci de nihilo, aliàs essent duo Dij contrarij actu infiniti: necesse est ergo, quòd Deus producat rem actu infinitam de sua substā- tia infinita. **D O M.** Facile ego ista concessero, nam quoniā in Deo reperitur Pro- ductio, necesse est, quòd in eo sit summa, atque infinita Productio, qua nulla possit maior intelligi. Et hæc est productio suæ imaginis, & suæ prolis. **R A E M.** Vide- mus præterea, quòd quælibet res creata suā

natu

naturaliter, & incessanter producit imaginem: ut pater in speculo, in quo quælibet res obiecta suam imprimit similitudinem. Sol quoq; generat radium, & ignis calorē. Si ergo hanc generationem Deus, alijs à se tribuit creaturis, multò magis ipse de semetipso suam continuè generabit imaginem, sibi omnino simillimam intelligentia, & sapientia, & potentia, & dulcedine, & bonitate. **D O M.** Optimè deducis: si enim de nihilo creat Deus res temporales, quæ viuunt, sentiunt, & intelligunt: multò magis producet de sua natura sobolem viuentē, intelligentem, sapientem, sibi penitus conformem, & tanquàm splendoris radiū de suo lumine prodeuntē. **R A B** Possent quidem hæ rationes sufficere: libet tamen, aliquantò robustius incumbere. Cū nihil suauius, thesius, & amabilius sit summa iucunditate: ne ergo hanc Deo denegemus, necesse est in eo ponere infinitam iucunditatem: sed summa atque immensa iucunditas non potest esse sine societate alterius summæ sibi similis, atq; conformis, in qua sit verus amor, vera iocūditas, summa suauitas. Habet ergo Deus apud se alium à se productum, sibi omnino simillimū, in quo, sicut in proprio filio, delectatur; exultat; gratulatur. **P R A T O S C A** cū naturalis sit Deus, &

summè proprium , Tribuere atq; Largiri sicut clarè patet in rerum omnium creatione: habet enim quælibet res tatum muneris diuini, quantum ipsa recipere potuit: Videmus quoq; , quòd vnaquæque res id, quod accepit, alijs festinet impartiri: Nam corpora cælestia continuò influunt in hæc inferiora: Elementa quoq; omnibus corporalibus rebus se permiscet: Arbores etiam & herbæ rebus sensibilibus suos fructus vltro communicant: Hinc ostenditur, quòd summa ingenuitas est, aliquid largiri. At quoniam Deus est omnium nobilissimus, idè largiri illi cõuenit in summo gradu: estq; sibi summè naturale, & maximè conueniens. Sed Tribuere, & Esse, in Deo vnũ sunt: idè sicut suum Esse est infinitum, sic & sua Largitio est infinita. Et sicut necesse est Deum Esse, ita & necesse est, Deũ largiri. Hinc sequitur, oportere Deum, dare totum quod habet, alioquin non esset infinitus largitor. Verũ ne ista largitio sit in Deo vacua, necessariò sequitur, vt si est infinitus aliquis largitor, sit & infinitus acceptor, qui totum in se recipiat, quod alter tribuere potest. Erit ergo iste acceptor suo Largitori per omnia æqualis, æquè nobilis, æquè sublimis, æquè perfectus, infinitus, æternus. At quoniã maior est & perfectior

actualis

actualis largitio, quàm potentialis, & intrinseca, & quàm extrinseca, substancialis quàm accidentalis, & de propria natura quàm de nihilo producta: idèd necesse est, quòd ab æterno fuerit in Deo ista largitio, & ista productio substancialis, naturalis, & actualis, æquè nobilis ut est ipse producēs. D O M. Efficacissima hæc ratio est: nam largitio, quæ fit à Deo ipsis creaturis penè nihil est, si ad suam immensam munificentiam conferatur. Maximum verò quod Deus dare potuit, est, quòd tribuerit totam suam substātiā alteri personæ. Et nisi id fecerit, cùm sit ipse indivisibilis, & simplicis naturæ, nihil de proprio tribuit, nec dat quod optimum habet: imò totum sibi retinet: & sic convincitur esse avarissimus, & tenacissimus: quod omnino longissimum est à tam libera & munifica natura.

*Quòd in simplicissima, atq; indivisibili unitate summa sit trinitas personarum.*

C A P. VII.

R A E M V N D V S.

**H**Is itaq; præmissis, nunc facilè erit, in uno & simplici Deo personarum ostendere Trinitatem. Suprà mōstratū est, quòd Esse Dei est infinitū impartibile, & summe simplex: & idèd non potest una pars dari,

dari, & altera retineri: sed necesse est, vt dū communicatur, ex integro communicetur. Quando ergo Deus suum Esse alteri largitur, totum datur, & totū retinetur: & sic persona tribuens, & persona recipiens habent idem atque indiuisibile Esse, vnam naturam, vnam numero substantiā: & in nullo differunt, nisi quod vnus est largiens, alter recipiens: iste habens Esse diuinum à semetipso, ille ab alio: iste produuens, ille productus: iste generans, ille generatus. At quoniā Largitor nō est receptor, nec conuerso: idē in essentia diuina inuenimus duos realiter distinctos: vnus generans, alter generatus: vnus Pater, alter Filius. **D O:** Delitescat nunc Sabellius impurus hæreticus, qui dicit, Patrem & Filium solo inter se nomine discrepare: nec in re, sed in voce solam facere distantia: posseq; eum qui Pater est, Filius esse: & qui Filius, Pater. Sed progredere quæso. **R. A. M.** Quia igitur totum Esse diuinum tribuitur alteri, & nihil penitus retinetur, quin id communicateur Filio à suo Patre: idē inter Patrem & Filium est summa coequalitas, summa consubstantialitas, summa coeternitas, potestas eadem, eademque maiestas. **D O M.** En hinc funestissimus Atrius vehementer eliditur, qui dicit, Filium suo Patre minorē

nec

nec genitum esse à Patre, sed ante mundi creationem à Deo conditum, factumq;. Sed assertio tua verissima est: quia ubi inter Patrem & Filium est vna substantia, non potest vnus altero prior esse duratione. Nam licet vnus oriatur ab altero, tamen similiter sunt ab æterno. Ex quo enim diuinę naturę est Largiri: ided ab æterno fuit ipsa elargiens, & ab æterno recipiens: sed largiens Pater, & recipiens Filius. Sed præstolor mihi (quam pollicitus es) demonstrari in Deo Trinitatem. R A E M. En soluo promissum. In omni natura intelligibili & spiritali, inuentur & intellectus & Voluntas. Intellectus est naturalis, & naturaliter operatur, & ex necessitate. Voluntas autem libera est, & ided liberè agit. Est ergo duplex in natura spiritali productio, Vna Duplex Necessaria & naturalis, quę fit per modum in natura intellectus: alia Libera & voluntaria, quę spiritalis fit per modum voluntatis. Prima productio in Deo est Naturalis & necessaria. Deus enim intelligendo seipsum & suam essentiam, producit necessariò suam imaginem, sicut Sol radium, & largitur suę imagini: hoc est suę soboli totam suam substantiam. Et quia ista productio est per modum naturę, ided vocatur generatio. Et quia fit per modum intellectus

intellectus, & ideò productus vocatur Verbum patris, Imago & Sapiètia patris. Quia verò quilibet, per se subsistit, ideò vterque Persona nuncupatur. Porrò quod à voluntate producitur Amor est : & quia est vna voluntas patris & filij, ideò à patre & filio Amor procedit, qui est Spiritus sanctus. Habes ergo in Deo tres personas, Patrem & Filium & Spiritum sanctum. D O M. Habeo, fateor : sed Spiritus sanctus quomodo in Trinitate persona sit, paulò quæso evidentiùs ostende. R A E M. Faciã breuiter. Diximus suprã Patrem esse largientem, & Filium recipientem : sed vbi est largitor & receptor, oportet quòd aliud inde procedat, quòd scilicet nec sit dare, nec recipere, videlicet Amor, qui procedit à dante in recipientem, & à recipiente in dantem. Et sic est ibi Amoris processio, quæ est tertia res, & tertia persona, quæ neque Pater est, neque Filius, sed amborum spiritus. Hic autem Amor, necessariò à Patre Filioque procedit : quia Pater non potest non amare suam imaginem, suum Filium à se productum : nec Filius non potest non amare Patrem, qui eum genuit. Ista autem productio fit à duobus simul : quia Pater non est prior Filio, sed ab æterno sunt simul : & ideò non prius procedit

procedit Amor à Patre in Filium; quàm filij in Patrem: neque sunt duæ productiones Amoris, qui non est nisi vna voluntas Patris & Filij, à quibus amor iste procedit. D O M. Hinc euidenter destruitur hæresis moderna Græcorum, qui afferunt à solo Patre procedere Spiritum sanctum: quasi & Filius Patrem non amet, à quo tanto opere se intelligit amari. Sed perge: quò cœpisti. R A E. Sicut ergo hæ tres personæ habent eandem numero essentiam, siue substantiam: ita sunt inter se per omnia æquales: quippe quibus est vna diuinitas, æqualis gloria, coætæna maiestas. Sed Pater generans, Filius genitus spiritus sanctus amborum nexus, amor amborum, & amborum charitas. D O M. Egregiè nunc confusus hinc Arrius, abscedit, qui impia voce ausus est dicere, Spiritum sanctum creaturam esse, & seruum esse Patris & Filij: nam reuera necesse est, quòd Amor, qui à Patre Filioq; procedit, sit infinitus: quia pater amat filium quantum potest, & e conuerso: & quia Pater potest in infinitum amare, & filius similiter: igitur amor (qui est Spiritus sanctus) est infinitus, omnipotens, æternus, omnium rector & dominus, & Patri & Filio coæqualis. R A E M. Vidisti certè in quæ sublimia animum porreximus. Ex compa-  
ratione



ratione enim hominis ad res inferiores trium graduum, penes conuenientiam generalem, repente in Dei cognitionem peruenimus, quem nunc scimus & esse, & viuere, & sentire, & intelligere: quem etiam videmus & in simplici essentia vnum esse, & trinum in personis. Nunc superest, vt comparemus hominem ad res se inferiores, penes conuenientiam magis specialem: & ex hac comparatione aliud quoddam mirabile lumen illuxerit nobis, quo & nos ipsos, & Dei gloriam contemplemur. D O M. Fiat obsecro quod dicis: libens animum accommodo, expertus fructum disputationum nostrarum.

*Comparatio hominis ad res inferiores trium graduum penes conuenientiam specialem.*

C A P.

V I I I.

R A E M V N D V S.

**C**onuenit itaque homo cum rebus, sibi subiectis generali conuenientia, vt supra diximus: quia habet Esse cum inanimatis, Viuere cum plantis, Sentiri cum animalibus. Nunc paulò specialius hominem alijs conferamus. Primò conuenit cum rebus **Primi.** primi gradus, quæ tantum Esse habent, & non Viuere. Conuenit enim cum elementis, & corporibus cœlestibus: Nam sicut illa inter

la inter se ordinata sunt, nobiliora enim  
 & digniora altiorem obtinent locum, &  
 minus digna inferiorem: ideo enim cœlum  
 sursum, & terra deorsum, & aqua præmi-  
 net terræ, ær, verò & ignis sicut his melio-  
 res, ita & altiores sunt: ita pariformiter in  
 corpore humano Caput, quod est inter ex-  
 teriora membra, nobilissimum, supremum  
 retinet locum: & membra minus digna, ut  
 sunt Pedes & Tibiæ, terræ propinquiora  
 sunt. Et sicut superiora corpora influunt  
 & regunt ista inferiora: ita caput influit &  
 regit minora membra. Et quemadmodum  
 Sol medius planetarum tribuit lumen, &  
 influit vitam, residensq; in medio, sursum  
 tribuit, & deorsum: ita Cor humanum,  
 quod omnibus membris vitam influit &  
 calorem, collocatur in medio, & sua mu-  
 nera distribuit superius & inferius.

D O M I N I. Præclara concinis, concordia  
 que R O A E M V N D V S I. Cum rebus  
 verò secundi gradus: maiori adhuc con- Secundi.  
 cordia homo sociatur: Nam sicut gra-  
 nū, de quo seu arbor, seu planta nascitur, ma-  
 teriam, augmentumq; recipit à terra, ut in-  
 de radix, truncus, ramiq; procedant: ita gra-  
 nū illud, de quo homo pullulat, à sanguine  
 menstruo in ventre matris augmentū reci-  
 pit, vnde mēbra omnia generentur. Et sicut

EX

ex vno paruo seminis grano tot diuersa procedunt, radix truncus, cortex, frondes, folia, fructus, & semina: Ita ex vno modico patris tui grano omnia corporis tui interiora & exteriora membra prodierunt. D O. Hinc euidenter aspicio opus me esse magni Dei, qui hoc modicum granum patris mei in tot diuersa & mirabilia membra protulit: esseq; vnum atque eundem opificem, qui & arborum corpora distinxit, & hominum. Nam cum corpus humanum formetur in matris utero, ipsa aut nesciente, aut dormiente, aut etiam plerumq; nolente, luce clarius apparet, quod in formatione humani corporis infinita potentia, sapientia, & benignitas creatoris penitus operata sit, qui super omnia alia corpora illud nobilius condidit, distinxit, & organizauit. R A E.

**Tertij.** Iam non erit difficile monstrare convenientiam cum rebus tertij gradus. Nam quemadmodum animalia coitu generantur maris & foeminae, & in utero matris horum membra formantur: ita & homo per coitum gignitur, & in ventre suae parentis coagulatur, formatur, & alitur. Animalia caput habent, oculos, aures, &c. & quinque decorantur corporis sensibus: pariformiter & homo. Illa comedunt, digerunt: egerunt: &c. & homo. Illi in terram, de qua sumpta sunt,

sunt, per mortem reuertuntur: ita & homo  
 cum puluis sit, in puluerem reuertetur.  
 D O. Data hac conuenientia, audire punc  
 abs te cupio, quod inde lumen debeam spe  
 culari. R AB. Hæc conueniētia rerū om  
 nium inter se, ostendit, quòd vnus atque  
 idem sit artifex, vnus Deus & dominus o  
 mnium, vnus ordinator & rector hominis,  
 animalium, plantarum, & elementorum.  
 Arguunt enim vnum consilium, vnā pro  
 uidentiam, vnā bonitatem. Non enim es  
 set tanta rerum omnium inter se concor  
 dia & similitudo, si duo essent opifices, duo  
 moderatores. Vnus est ergo dominus, qui  
 & homini intellectum contulit, atque plā  
 tarum atque arborum opera moderatur.  
 Eadem quoq; omnium rerū materia vnum  
 monstrat artificem summè potentem, sum  
 mè sapientem, qui de vna eademq; mate  
 ria tot innumerabiles mirabilesq; rerum  
 formas producere potuit, voluit, sciuit, &  
 fecit. Illud quoq; non mediocriter miran  
 dum, quòd de vili, infima, terrestriq; mate  
 ria tam nobile humanum corpus plasmare  
 voluerit, quod capax esset animæ rationa  
 lis, & summi artificis imaginis. Si enim hoc  
 tale corpus ex lapidibus pretiosis, aut certè  
 ex aliqua cœlesti materia cõdidisset, non  
 esset tanta admiratione dignum. Nunc  
 d verò

verò cum ex vili luto illud suscitauerit, satis suam potentiam & sapientiam egregius conditor ostendit. Hinc potes etiam intelligere, quòd si te ex tam contemptibili massa formare potuit, poterit quoque si voluerit multò te sublimius attollere, & instatum multò nobiliorem subleuare, & corruptibilem puluerem tuum immortalem reddere. **D O M.** Capiò lumen, idq; non paruum: vnde & datori luminum, & tibi maximas habeo gratias. **R A M.** Vidisti itaq; quanta cognouimus ex comparatione hominis ad sua inferiora penes. Conuenientiam: nunc reliquum est. vt hominem conferamus ad res cæteras penes Differentiam, & multò ampliora de homine & hominis conditore cognosces, quàm hactenus cognouisti. Verùm quia iam prandij hora est, & fame illa contabescunt, vox quoque iam à sermonis virtute succumbit, oro vt sequentem disputationem, donec stomachus confortetur, differri patiaris. **D O M.** Patior libens: sumpto enim cibo fortius instabimus: nam tritum apud Rhetores proverbium est, Bene inflatitas tibi melius resonare solere.

54

S E C V N D V S  
D I A L O G V S  
C S V.

*De beneficijs Dei, & hominis  
obligatione.*

*Comparatio hominis ad res inferiores penes  
differentiam generalem.*

C A P. I X.

A A E M V N D V S.

**R**OBORATI S nunc paulu-  
lum viribus, comparemus, si  
placet, hominē ad inferiores  
gradus rerum penes Differen-  
tiā primò iuxta differentiā ge-  
neralem: secundò, iuxta differentiā specia-  
lem: & grandia quaedam & sublimia, quæ  
nondum vidimus, intuebitur. Res enim  
inferiorum graduum multum abin-  
vicem separantur, & in ipsis sunt distincta  
genera, & species inter se plurimum diffe-  
rentes. Sed homo maxima nobilitate, & digni-  
tate distat à cæteris: non quia aut existit, aut  
viuit, aut sentit, sed quia intelligit. Habet  
enim homo Liberum arbitrium per quod  
potest cognoscere, intelligere, discernere,  
& velle, & nolle. Ista ingenua dignitate.  
d 2 homo.

homo præminet vniuersis subter se creaturis: quia illæ omnes operantur ex necessitate, homo autem ex intelligibili, & libera voluntate. Illæ suas operationes non intelligunt: homo quod operatur, & intelligit, & diligit. D O. Patet amplissima differentia: sed quis inde nascitur fructus? R A. Magnis certè, atq; sublimis. Nam cum homo habet intellectum, potest intelligere verba, sermones, sententias: potest discernere, quid verum, quid falsum: potest etiam quod verum, & bonum est eligere, quod autem falsum est reprobare: potest præterea se rebus que sub se sunt comparare, & se multò nobiliorem cognoscere: potest etiam de vna cognitione ad aliam, & de minore ad maiorem conscendere: potest quoq; intelligere, se intellectum non à se, sed à suo opifice recepisse. Verùm quia creatura non potest ascendere vltra suum creatorem, idèd homo suo intellectu, & cogitatu nequaquam potest Deum transcendere, à quo accepit, & Vivere, & Intelligere, & Desiderare. Hinc sequitur, quòd non potest homo præstantius aliquid, aut melius vel cogitare, vel desiderare suo maximo, & optimo creatore: Alioquin maior erit homo cogitando, quàm Deus existèdo: esset q; aliquid maius in creatura, quàm in creatore, quod

re, quod impium est dicere. D O. Verè im-  
 pium: nunquàm enim creator hoc suæ tri-  
 bueret creature, vt posset aliquid se melius,  
 se dignius, aut intelligere, aut cupere: quia  
 & hoc naturæ repugnat, & imbecillem, &  
 impotentem, atq; ignobilem argueret crea-  
 torem. Si enim posset homo aliquid melius  
 æstimare, aut cupere, quàm suus est condi-  
 tor: tunc certè nō esset nec optimus, nec ma-  
 ximus Deus. Verùm quia & humana cogita-  
 tio, & affectio potest ascendere in infinitū,  
 idè qui hanc capacitatem homini tribuit  
 Deus, necesse est, vt sit & ipse infinitus.

Æ AE. Optimè cōfiteris: ex intellectu ergo,  
 & cogitatu humano euidēter omnia appro-  
 bamus de Deo, quæ illi possunt cū summa  
 veritate & veneratiōe tribui, & ascribi. Ca-  
 pesce igitur, & intellige hanc, quā tibi nunc  
 afferō, regulā in humano corde fundatam:  
 Deus est, quo nihil maius cogitari potest.  
 Vel, Deus est, quod omnium maximum co-  
 gitari potest. D O. Capiō regulam: mira-  
 bile iucundumq; lumen, & quod nos vehe-  
 menter inflammet, ex hac regula hausuri  
 sumus. Cū enim Deus est quicquid maxi-  
 mum homo cogitare potest: ergo necessa-  
 riò Deus est perfectissimus, optimus, dignis-  
 simus, nobilissimus, altissimus, omnipoten-  
 tissimus, & prudentissimus. Hæc enim ho-



mode Deo maximo cogitare potest, & illi cum summa veritate attribuere.

*Practica huius regula ad probandum omnia perfectissima de Deo.*

C A P.

X.

R A B M V N D V S.

**P**ROpinquius hanc regulam explanemus. CUM igitur Deus est optimum, & praestantissimum quod homo cogitare potest, ideo necessario Deus est omne illud, quod melius est esse, quam non esse. Hinc cognoscimus, quod Deus non potest cogitari non esse, sed habet perfectissimum Esse. Et quia homo potest cogitare, quod Deus est suum Esse, nec acceperit Esse ab alio, nec a nihilo, nec a seipso: igitur Deus est suum Esse. Homo potest cogitare Deum esse aeternum, immensum, infinitum: ideo necessario Deus est aeternus, immensus, infinitus: aliter Deus esset humana cogitatione minor, quod nefas est dicere. Homo potest cogitare Deum esse summam essentiam per se subsistentem, nullius egentem ope, omnia ex nihilo creantem, omnia moderantem, igitur talis est Deus. Homo potest cogitare, Deum non solum iustum esse, aut veracem, aut viuentem, aut beatum, aut bonum: sed esse ipsam iustitiam, veritatem, vitam, beatitudinem, & bonitatem. Talis igitur

igitur est Deus. Homo potest cogitare, simplicem esse Deum, incompositum, insolubilem, hoc enim magis congruit diuinæ naturæ, quam putare eum cōpositum esse, aut in partes diuisibile. Est ergo Deus simplicis naturæ, & insolubilis, atque ideo incorruptibilis. Homo potest Deum cogitare incircumscriptum, nec loco contineri, nec tempore: hoc enim est præstantissimum: in nullo ergo loco, vel tempore coartatur Deus, sed est simul & semel in omni loco, & tempore, nec inclusus, nec exclusus. Homo potest cogitare, Deum posse plura in infinitum & facere, & cognoscere, quàm possit mens creata concipere, ergo sic est, vt homo cogitauit: alioquin Deus non esset id maximum, quod homo cogitare potest. **D O M.** Cum maxima te audio voluptate. Hinc luce clarius intueor, per humanam cogitationem infinitas posse Deo tribui dignissimas proprietates. Quòd videlicet Deus est in infinitum bonus, pius, benignus, fortis, iucundus, beatus, beneficus, honorabilis, gloriosus: Et quòd hæc omnia in tanta habeat perfectione, qua nō potest altera præstantior æstimari. Et quia homo cogitat Deum iustum, & bonum, ideo tribuit illi odium omnis peccati, omnis malitiæ, & nequitia. Hinc sequitur,

d 4 quòd

quòd Deus odit in infinitum omne vitium  
 superbix, luxuriæ, omnem dolum, frau-  
 dem, simulationem. Econtra, quia summè  
 bonus est, idèd homo æstimat Deum in  
 immensum diligere omnem virtutem, cha-  
 ritatem, munditiam, humilitatem, timo-  
 rem, obedientiam, vefecūdiam. Verùm tu,  
 quæso, vltra progredere. R A E M. Homo  
 præterea potest cogitare in Deo esse infi-  
 nitam productionem, nec debere esse ste-  
 rilè eum, qui tantam rebus creatis attū-  
 lit fœcunditatem. Habet ergo Deus filiū,  
 quem naturaliter producit per intellectū,  
 habet & Spiritum sanctum, quem liberè à  
 se procedere facit per arbitrium. Certè nūc  
 vidisti, quàm sublimia, & summæ dignissi-  
 ma de suo factore humana cogitatio con-  
 cludere potest, & sibi in veritate tribuere.  
 Quod nisi fecerit, peruersus est homo, im-  
 pius, superbus, & sui conditoris acerrimus  
 inimicus D O M. Verùm dicis: sed rogo te,  
 nunquid idèd istas dignitates Deus habet,  
 quia humana cogitatio eas æstimat Deum  
 habere? Nunquid mea cogitatio diuitem  
 Deum, facit vt inops atque egenus sit, cum  
 eas illi nolim tribuere? R A E M. Impium  
 est ita credere. Deus enim, qui ab æterno  
 omnium bonorum pulchrorumq; ditissi-  
 mus possessor fuit, nihil à sua potest reci-  
 pere

pere creatura. Sed nos, qui cęci, & ignorātes sumus, non possumus prima fronte mentis obtutum in Dei lumen infigere: sed à nostro, quod in nobis est, lumine illud nitimur æstimare. Nam quia homo, cū sit imago Dei, potest in infinitum ascendere cogitando, optando, volendo: idē omnino dignissimum arbitramur vt hominis creator vnum gradum supra hominem ascendat, habeatq; veraciter existendo, quicquid illi homo tribuit cogitando: ne sit Deus humana cogitatione aut minor, aut deterior.

D O M. Fecisti satis quæstiunculæ meæ.

*Homo per secundam intellectus operationem omnia uel affirmat, uel negat, quæ illi, in quantum homo est, sunt necessaria.*

C A P. XI.

R A B M V N D V S.

**D**iximus supra, tres esse operationes intellectus. Prima est, Intelligere verba, sensumq; verborum: per hanc homo multum differt à brutis, vt iam patuit. Secunda operatio est, Discutere quid verum, quid falsum: quid bonum, quid malum: per hanc multo amplius à bestiis distat. Tertia operatio est, Quod verum, quod bonum est, prudenter eligere: & aspernari acriter

d s quod

quod malum est. Et per hanc à brutis homo longissimè separatur, vt in subditis patebit. Per secundam ergo operationem intellectus discernit homo inter verum & falsum : & per tertiam operationem eligit ex his, quod sibi vtile iudicat, honestum, & necessarium. Ad hoc enim contulit homini intellectum Deus optimus, vt illo vtatur in bonum suum, & applicet ad suam vtilitatem, & salutarem necessitatem. **D O M.** Equidem assentior ego. Debet enim homo imitari cæteras se inferiores creaturas, quæ sui conditoris munera sibi ipsi applicant in sui conseruationem, & in suam necessitatem. Res enim primi gradus ad hoc laborant, vt id permaneant, quod sunt : Res secundi & tertij gradus, vt semper viuant, & sentiant: etsi non in indiuiduo, saltem in specie. Debet ergo etiam homo suum sic dirigere intellectum, & voluntatem, vt inde commodum, bonum, gaudium, spem consolationem, & pacem consequatur. Hæc dico, nondum tamen intelligens, quorsum me pertracturus sis. **R A E M.** Ad stupèdum prorsus, & suauissimū lumen, quod omnes animi tui medullas vehementer afficiat. Cùm enim homo (vt asseris) tenetur de iure naturæ affirmare, & credere, & pro se eam partem recipere, quæ illum inducat ad  
maïorem

maiores perfectionem, dignitatem, & necessariam salutem: & nisi id fecerit, abutitur suo intellectu in suam perniciem, in damnum & omnimodam desperationem suam. Cùm igitur tu homo sis, & habeas intellectum, quem iam edoctus es, in tuam perfectionem dirigere: quaero nunc abs te aliquos veræ lucis articulos: tu quaeso caute prospexeris, quomodo mihi verè respondeas. Quid dicis? credis ne Deum esse? D O M. Credo utique: tu enim docuisti me id credere debere, quod homini maxime commodum, & salutiferum est. Dum ergo credo Deum esse, qui est infinitum bonum, maximum mihi gaudium pario, spem, consolationem, fiduciam. Nam inde intellectus meus nobilitatur, dignificatur, augmentatur, & particeps efficitur eius, in quem credit, excellentiæ, & gloriæ. R A E M. Optime respondi. Credis ne Deum unum esse, an plures Deos? D O M. Ut mihi bonum velint, tantum est unus Deus. Si enim plures essent Dij, essent plures voluntates, & sic quilibet vellet hominem in suam redigere servitutem, quod esset homini perniciosum, molestissimum, afflictissimum. Unus est ergo Deus. R A E M. Potes ne credere, Deum habere filium? D O. Utique possum. Inde arguo Deum secundum communica-

tium

tium, beneficū, & id est homini maximè  
 iucundū, & fructiferū quòd habeat Deum  
 cōmunicabilem, liberalē. R. A. E. M. Credis  
 Deum summè potentem, summè sapientē,  
 summè benignum? D. O. M. Certè summè ne  
 cessarium est homini, talem habere Deum  
 cuius potentia procreetur, cuius sapientiā  
 gubernetur, cuius bonitate promoueatur.  
 Libenter igitur talem intelligo esse Deū.  
 R. A. E. M. In bonum tuum tuo vteris intel-  
 lectu. Credis etiam Deum cœlum, terram,  
 maria, & cuncta, quæ in eis sunt de nihilo  
 formasse? D. O. M. Imò & hominem ipsū  
 libentius credo ex nihilo, quàm ex aliquo  
 creatum. Hinc mihi oritur confidentia &  
 securitas maior: certus enim sum, vt qui me  
 potuit ex nihilo creare, poterit etiam post  
 mortem resuscitare, & in maiorem gloriā  
 attollere. R. A. E. M. Credis Deum pro homi-  
 nie hominem factum. D. O. M. Innumerabi-  
 les olim fuerunt, & adhuc sunt, qui hoc nō  
 credunt: ego autem libenter id credo, quo  
 humanæ naturæ maximā est dignitas attri-  
 buta. Ex quo enim humanitas est Deitati  
 vnita, summa perfectio, summa dignitas,  
 summa exaltatio est inde homini collata.  
 Idcirco hostes sunt humanæ naturæ, qui  
 Deum nolunt credere incarnatum. Credo  
 etiam Deum hominem de Spiritu sancto  
 concep

conceptum, & de integerrima & optima  
 virgine natum. Hoc modo enim humana  
 natura multò amplius nobilitatur, & attol-  
 litur. R. A. E. M. Magnificè. Quid dicis de  
 mortuorum resurrectione? D. O. M. Credo  
 mortuos suscitandos: Hoc enim pacto ho-  
 mo redditur immortalis, incorruptibilis, &  
 constituitur cum dum hinc vivit in maximo  
 gaudio, in amplissima consolatione & spe,  
 dum videt, quod non vnus est interitus ho-  
 minum & iumentorum. R. A. E. M. Credis er-  
 go animam hominis immortalem? D. O. M.  
 Credo vtique: hinc enim nascitur ingens  
 exultatio, & spei magnitudo. Qui autem di-  
 cunt, animam esse mortalem, bestia sunt,  
 & rationis lumine priuati: quia putant ho-  
 minem nihil habere: iumento amplius.  
 R. A. E. M. Est ne futurum vniuersale iudi-  
 cium? D. O. Credo futurum, in quo omnes  
 homines recipiant operum suorum æter-  
 nam mercedem, vt qui bona fecerunt, va-  
 deant in vitam æternam: hinc animabuntur in  
 sti. Qui verò mala egerunt, mergantur in  
 ignem æternum: hinc terrentur reprobis.  
 Qui ponit scelerum impunitatem, qui tol-  
 lit ultorem operum malorum, hominem  
 præcipitem reddit in omnem nequitiam, &  
 brutis animantibus peiorem. constituit,  
 dum non nisi carnalia & lubrica sine freno  
 timoris



timoris conlectatur. R. A. Hinc iam clarissime comprehendis, fidem Christianam, in qua hi omnes articuli, quos nunc tetigimus continentur, in bonum hominis constitutam esse: & præsens illi gaudium cumulare, & futurum. Nam hæc fides humanam naturam complet, exaltat, dignificat. Igitur qui hanc fidem affirmat, nullo modo argui debet aut obiurgari, neque a Deo, neque ab homine, neque ab angelo: quia id credit, quod est Deo optimo consentaneum, & humanæ naturæ salutiferum cõplementum. Qui vero non credit, erraticus incedit, & deuius, cæcus, miser, impius, scelestus, & æternæ morti iam proximus. D. O. Non me capio præ gaudio, dum animaduerto, me ex tua directione atque industria in mirabilem scientiam promoueri. Obsecro te igitur, ut ad reliqua, quæ dicturus es, meocius intrōmittas.

*Homini ad res inferiores comparatio penes  
liberum arbitrium per quod illi de seipso, ope  
vrbusq; suis, ac de Deo, vera oritur cognitio.*

C A P. XII.

XII.

R. A. E. M. V. N. D. V. S.

**F**Aciam quod precaris, quæso te, intentus respice: nã stupenda videbis. Tertia operatio intellectus (si meministi) est quod verum & bonum est eligere, atque sectari: asperna

aspernari autē & fugere quod malum est.  
 Hoc pertinet ad liberum arbitrium homi-  
 nis, per quod summopere distat à bestiis.  
 Bestiæ enim, & quæ infra hominem sunt,  
 omnia operantur opera sua ex necessitate  
 naturæ, ex impetu: nec intelligunt se agere,  
 nec domini sunt operationum suarum. Ho-  
 mo autem propter libertatem arbitrij spon-  
 tē & liberē agit, & est operum suorum do-  
 manus: quia cum vult, & quæ vult agit: cum  
 non vult, dimittit. Hinc sequitur, quod ope-  
 ratio hominis de sua natura ingenua & no-  
 bilis est valde, & admodum dignissima. Ho-  
 minis enim opera sua sunt, & illi veraciter  
 imputantur, & inde accipit laudem, hono-  
 rem, meritum & præmium, si bona sunt, &  
 bene fiant: vel vituperium, ignominiam,  
 demeritum, & tormentum si mala sunt, &  
 malè fiant. Ad omne opus hominis sequi-  
 tur vel meritum, vel demeritum: eò quod  
 opus eius est vel bonum, vel malum. Si bo-  
 num, habet meritum: si malum, habet de-  
 meritum. Sed post meritum sequitur præ-  
 mium: post demeritum sequitur tormentum.  
 Ex quo enim homo operatur cum liberta-  
 te, cum ratione, cum voluntate, quod res se  
 inferiores non faciunt: ideo opera sua illi  
 honorant, ornant, nobilitant, vel infamant,  
 maculant, degenerem faciunt. Videmus  
 quippe

quippe ad oculum, quòd omnes res trium primorum graduum operantur opera sua ad honorè sui conditoris, & ad vtilitatem hominis, in summa quæ præualeat bonitate & perfectione. At quoniã homo est pars vniuersi dignissima, ideò summopere tenetur bene & laudabiliter operari: alioquin solus ipse destruit ordinem creaturarum, & lædit, ac destruit semetipsum, & dulcem perturbat harmoniam, & consonantiã vniuersi. **D. O. M.** Vera sunt omnia quæ tu loqueris: sed expecto quorsum hæc properent.

**R. A. B. M.** Nunc animaduertes. Quia igitur ad opera hominis sequitur meritum, vel demeritum, eò quòd sunt bona vel mala: ideò post meritum debetur homini summa gloria, post demeritum amarissima poena. Verum quia homo non potest munerare semetipsum, vel punire: ideò necessariò sequitur, quòd sit aliquis supra hominem qui possit illum punire & affligere, si deliquerit: vel si rectè egerit, coronare. Alioquin opera hominis, propter quem omnia alia operantur, frustra essent & inania: essetq; homo ipse extra ordinem vniuersi, quod absurdissimum est dicere. **D. O. M.** Plane absurdissimum. Nam videmus quòd rebus visibilibus respondet oculus, rebus audibilibus auris, tangibilibus tactus, intelligibi-

libus

libus

libus intellectus. Multò magis igitur rebus præmiabilibus (vt sunt humana opera) respondet præmiator aliquis, & æquissimus iudex, qui possit punire nequitiam, & iustitiam præmiare. R. A. E. Ecce iam tu ipse intelligis, quòd ex libero arbitrio hominis necesse sit esse aliquem supra hominẽ, qui possit ipsi iuxta quod meruit restituere. Deus igitur est supra hominem, hominis præmiator. Præterea qui male agit, habet culpã: sed vbi est culpa, illic alicui cõmittitur iniuria. Qui ergo ligatus est in culpa, est etiã obligatus propter offensam in pœna. Et tot sunt obligationes, quot homo multiplicat offensiones. Relinquitur ergo, quòd est aliquis supra hominẽ, cui propter culpã homo manet astrictus. Præterea cùm offensa, seu culpa, nõ possit remitti, nisi per veniã aut pœnarum solutionẽ: & quia homo non potest sibi ipsi dare veniam, nec sibi ipsi soluere, quod commeruit: clarissimè liquet, Deum supra hominem esse, qui possit roganti culpam donare, vel obstinato pœnã infligere. D. O. M. Satis iam doceor, ex libero arbitrio hominis oportere concludere, Deum esse. Ideò optimũ est argumentum, Homo potest peccare, ergo Deus est punitor, homo potestque iusta sunt operari, ergo Deus præmiator est.

e. Deus:

*Deus premiator, aut punitor, est infinita sapientia, potentia, iustitia, & misericordia. unusq; tantū est premiator, ac vltor Deus.*

C A P.

XIII.

R A E M V N D V S.

**A**Gnouisti igitur ex libero arbitrio hominis, Deum esse: agnosce nunc, hunc ipsum Deum ex eodem arbitrio esse infinitæ sapientiæ, potentiæ, iustitiæ. **D O M.**

Deū esse infinitæ sapientiæ. **Q**uomodo est infinitæ sapientiæ? **R A E M.** Deus cum sit aut seuerus vltor, aut æquus munerator humanorum operum: ideo necesse est, quòd omnium actiones mortaliū ab ipso examinentur, discutiantur, & statim iustissima appendantur. Verūm quia opera hominum secundū maius & minus merentur aut præmium, aut tormentum, ideo egent maiori vel minori discussione, & cognitione. Ideò necesse est quòd iudex iste videat, cognoscat, & ad vnguem discernat omnium opera hominū, & iustissima æquifatis libra ea ponderet, & iudicet. Habeat ergo, necesse est, plenissimam cognitionē, non solum operum hominum, sed & cogitationum, desideriorū, intentionum, & nihil illū lateat quid dicto, quid signo, quid cachinno, quid oculo, quid nutu, quid plausu, quid deniq; minutissimo cogitatu commissum.

missum sit: nisi enim profundissimo intuitu Deus omnia scrutaretur, non posset veram in iudicio perferre sententiam. Nihil ergo debet negligere, nihil paruifacere, nihil dissimulare, nihil in obliuionem mittere. Sed cogita nunc, rogo, quantum esset cognoscere & meminisse omnes voluntates, affectiones, intentiones, sermones, & actiones vnus tantum hominis à die suæ discretionis, vsque in diem mortis suæ: si vnus, multò amplius duorum, trium, quatuor, centum, & mille milliū, imò penè hominū infinitorū. Quis quæso non stupeat nunc ad immensam Dei sapientiam, quæ tot hominum & qui fuerunt, & qui sunt, & qui post futuri sunt desideria, verba atque opera vno circumspectionis oculo cognoscit, memoratur, decernit. **D O M.** O' terribilem maiestatis oculum, multò lucidiorem super solem circumsipientem omnes vias hominum. Nunc ex libero hominis arbitrio clarè arguitur Deus Iudex sapientissimus, prudentissimus, infallibilis, profundissimæ circumspectionis & agnitionis. At nunc ostende, obsecro, quomodo liberum arbitrium hominis arguit Deum infinitæ Potentiæ. **R A E M.** Frustra Potentiæ: esset, Deum omnia hominum opera cognoscere, nisi etiā ea posset & præmiare, & debite punire. At quoniā is, qui vel honoratur,

vel contemnitur ab homine operante, est  
 infinitæ maiestatis: idè ipsa, opera quæ  
 etiam sunt penè infinita, requisit vel infi-  
 nitam coronam, vel immètam miseriam. Sed  
 nullus potest in immensum affligere, vel  
 præmiare, nisi qui fuerit infinitus: Et quia  
 id Deus efficaciter potest, idè solus, sicut  
 nouit hominũ facta discutere, ita nouit &  
 munerare. **D O M.** Intellego summam Po-  
 tentiã. **R A E.** Intellege etiã ex libero ar-  
 bitrio summam Dei iustitiã. Nihil prodes-  
 set Deũ opera hominum & cognoscere, &  
 præmiare posse, nisi etiam habeat & velle.  
 Habeat igitur necesse est optimã volunta-  
 tem, & rectissimã iustitiã tribuere vnicuiq;  
 secundũ opera sua. Non erit ergo acceptor  
 personarũ: sed parũ æquè iudicabit, & ma-  
 gnũ: nec cõtemnet personam pauperis, nec  
 honorabit vultum potentis. Est enim iusti-  
 tia Dei inflexibilis, inuariabilis, inconuer-  
 tibilis, immutabilis: alioquin ordo pulcher-  
 rimus vniuersi deperiret, quod nullatenus  
 fieri potest. Hinc etiam satis animaduertis,  
**Miseri-** Deum quoq; esse benignissimũ qui innu-  
**cordiæ;** meris hominum sceleribus quotidie offen-  
 sus nõ se vlciscitur, non indignatur, sed pe-  
 nitentiã præstolans, iudicium suspendit, mi-  
 nas remittit. Intelligis quoq; non nisi vnũ  
 oportere esse præmiatorem aut vindicem.

Nam

Nam cum liberum arbitrium est in omnibus hominibus vnus naturæ, quod est ratio & origo retributionis aut meriti, aut demeriti: idè vnū tantum iudicem requirit, qui illud possit & discutere, & prout meruit munerare. D O M. Non mediocriter ex hominis arbitrio illuminatus in Dei cognitionem apprimè profeci.

*Sicut ex natura liberi arbitrii cognoscitur, quid de Deo sentiendum sit: ita & per liberum arbitrium cognosci possunt, quæ hominis sunt.*

C A P. X I I I.

R A E M V N D V S.

**S**icut agnouisti ex natura liberi arbitrii quid de Deo sentire debeas: ita nunc quid de his quæ circa hominem geruntur, debes agnoscere. Quinq; enim per ordinem breuiter ponemus, quæ ex natura liberi arbitrii hominem scire oporteat. Primum, & remuneratio quæ sit homini à summo iudice propter opera liberi arbitrii est spiritualis, & æterna, non corporalis aut temporalis. Nam liberum arbitrium, propter quod homo dicitur homo, est spirituale, inuisibile, & intellectuale. Et quia in libero arbitrio subiectatur omnis culpa hominis, vel meritum: idè principalis remuneratio hominis



hominis est inuisibilis, & spiritualis, vt remuneratio radici respondeat, & origini.

D O M. Satis assentior: nam corporalia, quantumlibet sint præstantia, non sunt tamè digna liberi arbitrij opera munerare. Plus dico: tota corporalis machina mundi non potest ex æquo præmiare minimū opus voluntatis humanæ. Adeò enim nobilis res est, liberum arbitrium, vt solo æterno præmio compensetur. R A E. Hinc optimè intelligis, quòd præcipuum hominis bonum, vel malum est remuneratio voluntatis, & intellectus. Omnes igitur thesauri, & diuitiæ hominis, in quantum homo est, sunt inuisibiles, & spirituales. Et regnum eius quod præstolatur, est intellectuale, æternum, insolubile. Nam quoniam liberum arbitriū non est vel locale, vel temporale, ideò bonum hominis nec loco clauditur, nec tempore mensuratur. Non ergo bonū hominis est commune cū bestijs: quòd Epicurus (qui summum bonū in voluptate posuit) videtur astruere. Secundum, quòd natura liberi arbitrij elucescit est, quam legē homo approbare debet atque sectari. & quam aspernari atque contemnere. Ex quo enim remuneratio liberi arbitrij nō est corporalis, sed spiritualis, vt iā patuit: hinc sequitur, quòd illæ leges & sectæ quæ finalem hominis beatitudinem

beatitudinem in rebus corporeis, & sensibilibus constituunt, falsæ sũnt, & deceptorix, caducæ, futiles, miserabiles. D O. Hinc verissimè liquet impostor nequissimus, Mahumetus quàm vanissimam suo populo legem condiderit, cuius promissa corporalia sũnt, & visibilia bona. Promittit enim paradisum terrestre, epulas pingues, vina falerna, sericas vestes, fœminas molles. R A. Meritò hic hominum deceptor in Apocalypsi bestia nuncupatur: qui & bestialiter vixit, & sua promissa communia cum pecudibus instituit. Porro lex CHRISTI I E S V quæ Dei visionè in præmio promittit, hæc sanctissima est, verissima, & saluberrima: cuius institutor verus fuisse dignoscitur sanctus, perfectus, veram hominis beatitudinem, & intelligens, & requirens. Tertium, quod ex natura liberi arbitrij cognosci potest est, mora pœnarum, aut præmiorum. Nam quia totum bonum, aut malum hominis est habere vel culpam, vel meritum, vnde pœna sequitur aut corona: idèò quanto plura merita habuerit homo, tantò maiora habebit & præmia. Non debet igitur statim, dum bonum aliquod opus fecerit finali retributione munerari, quia tunc amplius mereri non pøsset. Sed debet expectari, donec merita omnia cõsum-

e 4      mentur,

mentur, & vnū pro omnibus recipere præmiū. Rursum, dū homo commisit mortalem culpam non debet repente finali animaduersione puniri: aliās esset totaliter cōdemnatus, & perditus, nec posset amplius ad gratiā reparari. Verū quia homo propter liberum arbitrium est cōuertibilis de malo in bonum, & potest culpā humiliter recognoscere, & per pœnitentiam reuocare: idē expectandus est, an velit ab errore ad iusticiā reuerti. **D O M.** Hanc expectationem (vt arbitror) requirit natura liberi arbitrij, non quidem ex suo merito, cū vindictā meruerit: sed sicut dixisti, quia cōuertibilis est, & in melius permutari potest: & idē iudex humanorū operum clemens debet esse, & longanimis, & non statim proflire in vindictam: quia melius est hominem saluare, quā perdere. **R A B M.** Quartò, agnosce ex libero arbitrio, duas esse ciuitates longissimē inter se distantes. Licet enim arbitrium sit in cunctis mortalibus eiusdē naturæ: tamen quia tendit per duas vias sibi mutuò valde contrarias, vna est via culpæ & demeriti, alia via virtutis & meriti: & quia istæ viæ ducunt ambulantes in eis ad contrarias mansiones, idcirco duas necesse est ponere ciuitates, in quibus contrarij inter se populi longissimē ab inuicem

uicem perpetuò separentur: vt sicut inter se volùtate & merito maximè discordant, & tali discordia, qua nulla potest esse maior: ita etiam remotissimè ab invicem separentur separatione, qua nulla potest esse longinquior. Ideò Deus qui munerator est actuum humanorù, hos duos populos ita discernit, vt vnum eleuet supra omnes cœlos, alterum deprimat in abyssos. Et quia centrù terræ, quæ ciuitas futura est reproborù: & circumferentia vltimi cœli, quæ ciuitas est hominum iustorum, extrema inter se distantia separantur, congruè iuxta naturã vtriusque populi hæc habitacula dispensantur. Sunt igitur hæ duæ ciuitates perpetuæ, insolubiles, inuariabiles, inexpugnabiles. Quarum vna est opulentissima, quietissima, iucundissima, lucidissima, pulcherrima, verum, & totum hominis bonum in se retinens, atque complectens: in qua requiescunt innumerabiles iusti, & sedent in pulchritudine pacis, & in requie opulentà. Altera verò ciuitas, quæ malorum gentem retinet, densissimis tenebris horret, inopiæ, ignominia, calamitatis, & extremæ miseræ plena, omne malum hominis cumulatiflima fertilitate complectens. **D O M.** Diuersitas voluntatum & operum, quam in hominibus experimur, has contrarias ciuitates e s manifestè

manifestè constituit. Sed vix illis, & septies  
 vix, quibus propter impiam nequitiae cul-  
 pam sinistra hæc, & tenebrosa ciuitas sorte  
 obuenerit. R A E M. Hinc iam quantum  
 quod dicere decreui facilè inteiliges: quòd  
 videlicet liberū arbitriū est immortale. Ex  
 quo in libero arbitrio subiectatur vel vir-  
 tus, vel vitiū: & omne liberū arbitrium est  
 vel virtuosum, vel vitiosum: sed virtus nō  
 expellitur, nisi per suum contrarium quod  
 est vitium. nec vitium eijci potest, nisi suc-  
 cedente virtute. At quoniam post mortem  
 vitium quod hīc non expellitur perpetuò  
 manet, non enim pœna vitium destruit, sed  
 consummat, & perficit, idè manēte vitio,  
 manet & liberum arbitrium, in quo est vi-  
 tium. Sed culpa, & etiam culpæ pœna est  
 perennis post mortem: ergo, & liberum ar-  
 bitriū est perenne atque insolubile. D O M.  
 Et anima quoque, in qua ipsum continetur  
 arbitrium, perennis permanet & insolu-  
 bilis. Satis iam per liberum arbitriū  
 tua industria illuminatus sum:  
 nunc ad reliqua, quæ infi-  
 nuanda sunt ocius  
 accede.

Homo

*Homo differt à rebus se inferioribus penes  
Cognoscere se habere.*

C A P. X V.

R A E M V N D V S.

**D**iximus suprà, eumodò homo differt à rebus trium graduum in generali: nunc specialius differentiam hominis à cæteris assignemus. differt quidem homo ab alijs rebus, quia aliquid habet quod non habent cæteræ: sed maxime differt, quia & habet, & se habere cognoscit. Hoc postremum nullis rebus interioribus est commune. Habent enim res trium graduum & miram pulchritudinem, virtutem, utilitatem, varietatem: sed hæc cum habeant, non se cognoscunt habere. Solus autem homo id quod habet intelligit, & à quo habet. Intelligit etiam quid cæteræ res habent, & à quo receperunt quod habent. Tu quæso diligenter aduerte, & ex hac differentia stupèda cognosces. **D O M.** Si tentum mihi aures adessent, omnes tuis sermonibus admouerem. Nò solum enim mihi ingenium illuminas, sed & affectum acriter inflammas. **R A E M.** Istud melius postremo fateberis. Nunc vero pro hac differentia quatuor gradus considera. Primus: Homo cognoscit se habere quod habet, & etià quod cæteræ res habent.

Secundus,

Secundus: Homo cognoscit non à se ipso habere quod habet: & cæteras res scit non ab ipso, nec à seipsis accepisse quod habent, sed ab alio superiore. Tertius: Homo potest quærere, inuenire, & cognoscere illum à quo & ipse, & cæteræ res acceperunt quod habent. Quartus: Homo potest illum tenere, complecti, regratiari, & perpetuò inhærere illi, & commorari cum eo inseparabili dilectione. Ecce his quatuor priuilegijs differt homo à cæteris se inferioribus creaturis. **D O M.** Capiò quod dicitis, sed quorsum properes non video. **R A E M.** Modò videbis. Cùm enim solus homo cognoscit se habere quod habet, & à quo habet, & quid cæteræ res habent, & propter quid habent: hinc iam suam cognoscit dignitatem, intelligit quanti eum suus conditor æstimarit, qui eum præ cæteris nobilem, & capacem rationis condidit, cæterisq; omnibus quasi principem antetulit, & cuncta suis pedibus subtrauit. Hæc homo cognoscens, si gratus est, gaudet, tripudiat, gloriatur, & factorem suum diligit, veneratur, honorat pro his quæ accepit, & quæ res cæteræ pro ipso acciperunt. **D O M.** Quantum intelligo, tu pro se & cupis ostendere, hominem obligari Deo, pro creaturis. & pro his quæ accepit in semetipso, & pro ceteram commodo creaturarum. **R A E.** Planè id cupio.

id cupio. Non enim debet homo nec stolidus, nec ingratus esse omnium conditori, sed immentas agere gratias pro innumeris beneficijs quę in se, & in subiecta sibi creatura suscepit. Nam ex quo Deus soli dedit homini cognoscere quid in se, quid in alijs accepit, inde obligat eum gratum debere esse, & pro suis bonis, & pro alienis. Præsertim cum ea bona, quę in cætera creatura sunt, magis homini necessaria, aut commoda sunt quàm sibi. Nam si voles diligenter inspicere, Deus omnes res inferiores non propter seipfas, sed propter hominem instituit. Condita enim sunt omnia, vel propter hominis necessitatem, vel vtilitatem, vel solatium, vel doctrinam, vel gaudium. At nunc, quia sunt omnia propter hominem, ided omnia solus accepit homo, & cuncta faciunt vnum corpus cum homine, & vnum regnum, cuius & ipse caput, & Rex est. Hinc tenetur solus suo largitori gratias agere, obsequi, inhærere, diligere, collaudare. **D O M.** Nunc ipsam obligationem hominis manifestè concipio. Nam ex quo creaturæ nihil pro se, sed pro solo homine acceperunt, ided solus homo quicquid vquam in vniuerso est noscitur accepisse. Omnia ergo in tribus concludi possunt, scilicet in largitore, in munere, & in accipiente. Sed



te. Sed vbi est munus dantis, ibi est & beneficium accipientis: atq; inde necessariò ad accipientem naturalis oritur obligatio ad suum largitorem, præsertim si ipse largitor munera sua liberè, voluntariè, & nulla necessitate distribuit: & si is qui accipit ipsis

**Omnes** muneribus carere nõ possit. **R. A. E.** Rectè creaturæ tu quidem. Sed nunc intuere, an homo Dei seruiunt muneribus carere possit: Vt paululùm de homini, ipsis donis, quæ in seipso homo accepit ta-  
**quarum** ceamus, exteriora creaturarũ munera cogi-  
**seruitio** temus. Nã quia homo animam habet, & cor  
**carere** pus, & ideo omnis creatura est ad bonum  
**non po-** animæ hominis, vel ad bonũ corporis eius.  
**test.** Et primò animaduerte, quomodò omnia

seruiunt corpori vel ad necessitatem, vel oblectationem, vel ad commodum, vel adiutoriũ. Non ne homo indiget necessariò quatuor elementis, ex quibus & constituitur, nutritur, conseruatur. Non ne homo indiget sole, luna, sideribus, plãtis, frugibus, arboribus, piscium, & animalium carnibus? Cogita horum omnium absentiam, & vide si sine his homo posset in vita durare.

**D. O. M.** Agnosco beneficium. **R. A. E.** Si beneficium agnoscis agnosce & beneficij largitorẽ. Nam omnis creatura tibi clamat, Accipe, & redde: Accipe beneficium, redde debitum. Cœlum dicit, Ministro tibi lumina, &

na, & virtutes siderum, & planetarum, temporum vices, & varietates: hinc tollo fastidium, ingero delectamentum. Aër dicit, Communico tibi flatum vitalem, & omne genus volucrum tibi in cibum, & solacium mitto. Aqua dicit, Ego te potio, sordes diluo, terras, tuas plâtas, atq; arbores irriigo, & fructiferas reddo, & varios pisces tuis faucibus administro. Terra dicit, Ego te porto, te nutrio, pane, vino, oleo, frugibus pomis, & animantibus mensas tuas repleo. Mundus totus magnis tibi vocibus clamat, Vide quomodò te meus conditor amavit, qui propter te me tibi seruire compellit: quia factus sum propter te, vt tu seruias illi, qui tenet me propter te, & te propter se. Si sentis beneficium, redde debitum. D O M. Satis nunc ostendisti, quomodò creaturæ seruiunt humanis corporibus: at nunc ostende, quomodò seruiunt, & animabus.

*Anima humana omnia seruiunt.*

C A P. X V I.

R A E M V N D V S.

**E**X magnitudine, ex pulchritudine, ex dulcedine & bonitate creaturarū facile mens humana cognoscit, quàm magnus, quàm pulcher, quàm dulcis, quàm bonus harū creator existat. Inuisibilis enim Deus  
per ea

per ea quæ facta sunt intellectu conspicitur, sempiterna quoque virtus eius, serenitas, & maiestas. Præterea dum homo considerat, quod quicquid in creaturis aut pulchrum, aut serenum, aut virtuosum est, non id ipsis propter se, sed propter hominem esse collatum: ingenti gaudio cor eius perfunditur, & in laudem resolvitur optimi conditoris. Præterea dum videt homo omnes alias creaturas in suum obsequium deputari, suam recogitat dignitatem, nobilitatem stupet, miratur excellentiam. Hinc intelligit se diligi à suo conditore, & magni pendii, qui se talem fecit, & longissimè omnibus antetulit. Hoc gaudio, hoc fructu homo priuaretur, si solus sine cæteris conditus esset creaturis. Præterea dum se homo comparat ad alia animantia, quibus & Viuere, & Sentire collatum est, tunc suam faciliè cognoscit ingenuam excellentiam, quod sensum à cœlesti demissum traxerit arce, cuius egent prona, & terram spectantia. Mundi principio indulsit cõmunis conditor illis tantùm animas, nobis animum quoque, & hunc rationis capacem, immortalem, inuisibilem. Præterea res inferiores sunt humanæ menti ad maximam doctrinam. Docent enim te bruta animalia, quod finale & verum bonum tuum non sit in rebus visibi-

visibilibus, & corporeis oblectamētis, non in cibis, & potibus, & actibus venerēis: quia hæc bona communia sunt & bestiis. Alia ergo bona præstolaris spiritualia, immortalia, sempiterna. Certè nunc vidisti, quantum res creatæ etiam conferant humanæ menti. **D O M.** Vidi fatcor, & obligationis magnitudinem non satis sufficit cogitare. **R A B M.** Amplius expavesces, dum tibi hanc obligationem luce clariorem monstrauero. Radix obligationis oritur ex parte muneris accepti. Et quia ipsa muneris multa, & magna, & nobilia sunt, ideo & obligatio magna fit, & copiosa nimis. Verùm ut melius agnosceas, quanta fiat obligatio pro qualibet creatura, tripliciter quilibet pes se creaturam considera: videlicet quantum valeat in seipsa, & quantum vna plus valeat altera, & quantum ipsa hominì præstet, & accommodet. Et quia omnis creatura quicquid habet muneris pro hominè accepit, ideo non ipsa, sed homo pro ea creatori astringitur. Et quantum ipsa creatura est nobilior, etiam etsi minus sit hominì necessaria, tantò pro eo magis ipse obligatur. Multùm debes Deo tuo, pro terra quæ te sustinet: non solum quia est, sed quia etiam tibi necessaria est. Amplius tamen debes pro aqua, quantum ipsa est terra nobilior, &

f clarior

clarior. Multò amplius pro aëre, pro igne, pro sole, pro sideribus, pro plantis, pro animabus, pro his omnibus maximas & multiplices debes agere gratias. Primò, pro omnibus perfectionibus quas à suo opifice receperunt. Secundò, pro utilitate, & necessitate quã tibi impartiuñt. Tertio, pro dignitate & gloria, qua cunctis præemines creaturis: quã quamuis magnam ingenuitatem habeant, multò tamen te inferiores sunt. Et quia nõ cognoscunt se habere quod habent idèd. nesciunt quid suo opifici debeant. Verum quia homo id solus agnoscit, & quotidie perfruitur earũ beneficio idcirco homo tenetur agere gratias creatori, & eam illi beneuolentiam rependere, quã singule pro se creaturæ tenentur, quia ipse solus id nouit, & potest. Ut autem melius te capias, hoc recipe exemplum: Si tu esses solus sapiens in ciuitate tua, & cæteri omnes aut fati essent, aut pueri: & rex Hispaniarũ conferret toti ciuitati magnum aliquod beneficium, quod in singulis distribui necesse sit: nonne tu, qui solus præ cæteris es sapiens, teneris agere gratias regi largitori, ne ingratitude populi prouocatus, minas inferat ciuitati? Quid si nõ feceris, & te ipsum, qui dignus es, & reliquos omnes miserabiliter perdis. At nũc cognosce in summa magnitudi-

gnitudinem obligationis tuæ: considera diligenter multitudinem, diuersitatem, utilitatem, necessitatem, nobilitatem, & bonitatem omnium rerum trium graduum. Vide quàm innumerabiles, quàm nobiles sint res primi gradus: Vide nobiliorem gloriam rerum secundi gradus: Vide quoq; ingentem pulchritudinem, & multitudinem rerum tertij gradus: vide præterea omnium simul numerum sine numero, mēsuram sine mēsurā, & ex infinita multitudine, & perfectione earum, infinitam intellige hominis obligationem. Quid nunc animi habes?

D O M. Video heu miserum hominem his beneficijs non tam leuari, quàm opprimi.

R A E M. Opprimitur planè si gratus non fuerit, & beneuolus. D O M. Et quomodò poterit gratias agere tantas, tam immēstas.

*Homo obligatus est Deo pro his etiam  
quæ accepit in seipso.*

E A P.

X V I I.

R A E M V N D V S.

**A** V dies hæc postea. Interim quæso diligenter aduerte, quantum alitringeris Deo pro his quæ accepisti in teipso naturalibus bonis, quæ sine comparatione sunt ceteris omnibus præstantiora. Accepisti enim Esse, & Viuere, Sentire, & Intelligere, &

f. 2. Corpus.

Corpus & Animam. Si debitor es pro mundo, multò amplius pro te ipso: & tantò amplius, quantò tu mundo es melior, nobilior, præstantior. Mūdus enim totus propter hominem factus est, cuius & cōmodis serui, & necessitatibus. **D O.** Hinc facilè intelligo, hominē secundum animam immortalē esse, atq; perpetuū: cū video tam nobiles, tam pretiosas, & etiā immortales alī quas creaturas in obsequiū hominis incuruari. Et quia is, qui seruit, semper est suo domino minor: ideò si creaturæ nobiles atq; immortales seruiūt homini, necesse est, q̄ sit homo multò nobilior, multò immortalior. Verūm tu quod cœpisti prosequere.

**R A E.** Obligatur itaq; homo pro illo Esse quod accepit: quod quidē Esse in immēsum plus valet, quàm Esse omniū creaturarum. Non autem tantū accepit Esse, sed etiam formosum, & pulchrum, & artificiosum, cuius pulchritudinem Sol, & sydera obstupescunt. Obligatur secundò pro sua vita, quæ est multò præstantior, quàm omnium aliarum vita: Omnia enim propter hominem viuunt, ipse autem non econuerso. Obligatur præterea pro eo quòd habet & sensum, & intellectum, & liberum arbitrium, rem vtique grandissimam, dignissimam, singularissimam. Plus enim ponderat Libe-

rum

rum arbitrium quàm Esse, Viuere, & Sentire omnium rerū : nam propter hoc omnia sunt condita, omnia instituta. Habes ecce principem, & imperatorem totius creaturæ naturæ, & vides decentissimam omnium rerum seruitutem. Nam esse, Viuere, & Sentire, quæ sunt in creaturis, sunt propter Esse, Viuere, & Sentire hominis. Hominis verò Esse, Viuere, & Sentire suo seruit Libero arbitrio. Omnia ergo quæ sunt in homine continuè laborant, vt sedeat rex Liberū arbitrium, quod immortale est, atque diuinum. Vnde sicut omnia creata trium graduum habent nobilius Esse, Viuere, & Sentire in ipso homine, quàm in seipsis: habent enim Esse humanum in homine, & per hominem iunguntur Libero arbitrio, idè omnia creata respiciunt ad illud Esse nobile, quod habent in homine, quod & appetunt perpetuè conseruare. Omnia ergo ordinantur ad hominem gradatim ascendendo : homo verò sine medio propter ipsum ordinatur Arbitrium. Super omnia itaque sedet, imperat, & dominatur Liberum arbitrium, nec habet aliquod creatum supra se: sed solus creator Deus illi præsidet, illud moderatur, & continet. Est ergo Liberum arbitrium nobilissima sedes Dei, quod immediate Deum attingit, Deum continet,



& possidet in æternum. D O M. Video obligationem hanc hominis magnam nimis, quæ per Liberum arbitrium astringitur Deo, per quod hominem sustulit de gradu in gradum, donec ipsum eleuet ad seipsum. Est enim Liberum arbitrium imago & similitudo Dei viua, diuinâ exprimens gloriam & maiestatem. Per hoc enim est homo immortalis, intellectualis, æternus, & suo factori simillimus. Fateor itaq; plus hominẽ obligari pro Libero arbitrio, quàm pro toto quem possidet mundo. R A E. Non solum autẽ pro libero arbitrio, sed etiam pro suo corpore debitor manet. Vide corporis tui sapientissimã, & artificiosam fabricam, omnia mundi corpora præcellentem. Vide pulchram membrorum omnium compaginem & proportionẽ, omnia membra se inuicem iuuant, fulciunt, obsequuntur. Vide quàm formosa sit facies, quàm frons serena, quàm lingua facunda, quàm oculus serenus, quàm manus prompta, quàm officiosus pes, quàm omnia membra plana, necessaria, proportionata, & pulchra. Vide staturam corporis in sublime porrectam:

*Prona q; cum spectent aumãtia cætera terrã,  
Os homini sublime dedit, cælumq; videre  
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Vide præterea quanti quodque membrum pretij,

pretij sic valoris, & necessitatis. Nolles  
 enim vno carere pede, aut manu pro toto  
 vniuerso. Qui tibi oculum redderet excus-  
 sum, aut dentem, aut aurem, semper illum  
 maximo fauore diligeres. Hinc pensa quan-  
 tum abs te diligi debet factor tuus, qui nō  
 vnum tantum, sed vniuersa tibi membra  
 compegit, distribuit, ordinauit. D O M. Satis  
 intelligo, plus me debere optimo creatori  
 pro meo corpore, quàm pro omnibus quæ  
 extra me sunt innumeris beneficijs & AE.  
 Si tantum debes pro corpore, quod caducū  
 est, atque mortale, quantum putas pro no-  
 bilissima, & semper victura anima te quo-  
 que debere? Infudit enim pulchro corpori  
 tuo animam pulcherrimam, & nobilissi-  
 mam Deus, quæ possit ipsum & sua orga-  
 na completere, viuificare, mouere, dirigere,  
 moderari. Sicuti enim corpus habet multa  
 membra, & organa admodum distincta, ita  
 & anima ornata est & dotata varijs virtu-  
 tibus, potestatibus & officijs naturalibus,  
 quibus corporis organa moueantur, & in  
 suas actiones destinantur. Videmus, quod  
 in vno quoque regno sunt inferiora officia,  
 vt officia Agricolarum, Mercatorum, Opi-  
 ficum: sunt, & media officia, & multo his  
 digniora, vt Militum, Iudicum, Comitum,  
 & Baronum: sunt quoque, & dignissima  
 f 4 officia,

officia, vt Cōsulū, & Senatorū, qui regi consulunt, & assunt. Pari modo in regno animæ humanæ sunt infinitæ virtutes: vt est nutritio, augmētatio, generatio, quæ se habent instar colonorū, mercatorū, & opificū, qui sustinent, & laborant pro toto regno. Istæ tres virtutes cōtinentur sub vna potestate generali, quæ virtus Vegetatiua nuncupatur. Et habēt secum alias adhuc quatuor virtutes, scilicet virtus Appetitiua, cuius officium est cibum desideranter attrahere: virtus Retentiua, cuius est cibum retinere: virtus Digestiua, cuius est cibum coquere: & virtus Expulsiua, cuius est superflua reijcere, & bonum chimum in omnia membra transmittere. Sunt secundo altiores his virtutes & potestates in anima, vt est potentia qua videmus, audimus, olfacimus, tangimus, gustamus. Visus apprehendit omnes colores, figuras, lucis & radiorum pulchritudines: Auditus omnes sonos, & voces, & harmonias, sonorumq; & vocum differentes consonantias. Olfactus omnes odores, quorum non est numerus. Similiter de Tactu Gustuq; dicendum est. Inter has tamen sensitivas potentias est quædam dignitas. Nam Visus melior est Auditu: quia remotius solemus videre, quam audire: & audire quam odorare: Gustus

istas autem, & tractus sunt cæteris se-  
 gnioribus quod obiectum volunt habere con-  
 iunctum. Sunt quoque tertio præter has oc-  
 cultiores, & nobiliores virtutes, quæ ha-  
 bent organa interiora in cerebro: ut sunt  
 Sensus communis, Imaginativa, Fantastica,  
 Aestimativa, Memorativa. Quarto, post  
 istas est in anima virtus Motiva de loco ad  
 locum, quam à capite Phisici dicunt pro-  
 cedere. Per hanc anima dilatat, extendit,  
 constringit, erigit, attrahit sua membra.  
 Quinto post istum statum virtutum & of-  
 feriorum, quæ habent cum organis corpo-  
 reis coniunctionem, & cum carne operan-  
 tur, sequitur in regno animæ alius quidam  
 status virtutum & potestatum omnium no-  
 bilissimus, quibus competit omne mode-  
 ramen virtutum præcedentium. Sunt enim  
 in anima duæ altissimæ potestates quæ ha-  
 bent distinctas inter se operationes, ab or-  
 gano corporeo penitus separatas, quæ sunt  
 Intellectus, & Voluntas. Intellectus consu-  
 lit, iudicat, discernit: Voluntas tanquàm  
 imperialis maiestas præcipit, imperat, & ad  
 executionem consulta mandat. Præter  
 has virtutes naturales, quibus anima deco-  
 rata est, potest insuper de nouo ornari &  
 vestiri moralibus & gratuitis bonis, & per  
 gratiam sui creatoris, & per industriam pro-  
 priam

præ sollicitudinis. D O M. Animaduerti acri ingenio cuncta quæ de animæ officijs ostendisti, & video hominem multò amplius, quàm prius suo opifici debitorem fieri. Munera enim ista, quæ in anima homo suscipit, inestimabilem illi conferunt dignitatem.

*De magnitudine obligationis ex parte dantis, & recipientis.*

C A P.

XVIII.

R A E M V N D V S.

Satis nunc audisti, ni fallor quantum Deo stringeris ex parte innumerabilis muneris: audi etiam, quid debeas ex parte largientis Dei, & ex parte hominis recipientis. D O M. Undique me niteris complicitum retinere, ut nusquam mihi diffugium pateat.

R A E M. Utinam tanta tibi beneficiorum vincula possim injicere, ut in reliquum non possis à tuo muneratore dielli. Verum nunc respice diligenter voluntatem, affectum, & liberalem munificentiam domini Dei tui, & copiosissimum te intelliges debitorem. Duo in genere sunt munera creatoris: unum visibile & manifestum, aliud inuisibile & occultum. Donum manifestum est mundus, & quicquid in se retinet minor mundus, scilicet homo. Donum occultum est amor dantis, qui est inuisibilis. Primum tamen donum,

donum, quod homini cōtulit Deus, est suus amor, qui radix est, & fundamētum omniū donorum. Nam hæc extrema dona multa & magna signa sunt maximi & ardentissimi ad uos amoris Dei. Cogita nūc, quæso, ex magnitudine omnium donorum infinitam amoris magnitudinem. Et quia Deus totum mundum condidit propter hominem, ideò primò dilexit hominē, & omnia alia propter hominem, & ita in alijs creaturis non dilexit nisi hominem, quem super omnes exaltauit, ornauit, nobilitauit. Verùm quia amor Dei excedit in infinitū omnia dona creata, ideò Deus cū dedit homini suū amorē, dedit ei munus infinitū, inapretiabile, inestimabile. Certè vidisti obligationem omnium maximam. Quia agitur amor Dei ad hominem est purissimus, ardentissimus, syncerissimus, summè liberalis, & merè gratuitus. Ideò sine vlla compa-  
 ratione, plus est obligatus homo pro solo Amore Dei, quàm pro vniuersis extra susceptis. Hæc enim omnia etsi multa sint, tamen finita sunt. At amor Dei est funditus infinitus. **D O M.** Libens suscipio hominem sic amari: sed obligationis magnitudinem expauesco. **R A E M.** Diximus obligationem ex parte largientis: nunc eam intellige ex parte recipientis. Largitor omniū bonorū  
 Deus

Deus munera sua homini contulit ex libera & gratuita bonitate : sed homo ea recipit ex mera necessitate. Velit enim aut nolit, necesse habet sibi assumere dona Dei, sine quibus nec ad momētum poterit permanere. Nunquid ea tu poteris refutare? nunquid potes dicere Deo, non opus habeo Sole tuo, non opus aëre, aqua, terra: munera tua alteri largire, ego ea amplius non recipio? Si vides ergo inevitabilem hominis necessitatem, agnosce & obligationem. Agnosce quantum debeas amico optimo & fidelissimo, qui te continuò in Esse conseruat, qui tuis necessitatibus & commodis sua dona ministrat. D O M. Agnosco obligationē infallibilem, indelebilem, perpetuam, immortalem, & chartam insolubilem digito Dei in qualibet creatura cōscriptam: quam dum lego, non possum maximum me debitorem non agnoscere. Sed quousque animā meam defatigas, & non dicis mihi, quid pro tantis beneficijs refundere debeā creatori? Erubesco ingratus inueniri: sed quomodo satis gratus efficiar, nondum intelligo.

*Homo quid retribuere tenetur pro acceptis beneficijs.*

C A P. XIX.

R A E M V N D V S.

**E**Cce iam incipiā satisfacere votis tuis. Sed dicitò mihi, Credis etiam hominē habere

habere aliquid tale, quod possit Deo retribuere in recompensam condignam tantorum bonorum? D O M. Credo equidem: nunquam enim æquissimus Deus (qui hominē perdere non vult) tantis eum beneficijs cumulasset, nisi nosset penes homines reside-re aliquid, quo suam possit soluere obligationem. Alioquin in suam vltimam ruinam hæc illi essent munera collata: quod de optimo largitore ne fas est credere. R A E M. Ita quæso sic senti de domino in bonitate. Habet ergo aliquid homo, quod reddere possit & debeat, ne iudicetur ingratus. Non hoc erit mundus iste, quia non est propriū hominis bonum: Non ipsum hominis corpus, quia per violentiam ab eo auferri potest. Omnia enim quæ extra animam hominis sunt, sua nō sunt, quia caduca & mortalia sunt. Verūm quia recompensatio debet correspondere amor largientis: amor autem largientis est immortalis, spiritalis, inuisibilis: ita id quod homo retribuit suo datori, debet esse immortale, spirituale, inuisibile, sincerum, purum, & in sua potestate integrè constitutum. Hoc autem est Liberum arbitrium: non autem Intellectus liberi arbitrij, sed Voluntas, quæ sola est libera, & spontanea, & sui ipsius imperiosa domina: quæ sicut à nullo cogi, aut

impe



impediri potest, ita nec vllatenus auferri. Hæc autem Voluntas donum in se possidet merè liberum & spontaneum, scilicet Amorem, qui à voluntate procedit ortu spontaneo. Hunc Amorem voluntas liberali munere Deo dare potest pro beneficijs acceptis, nec quicquam amplius ab homine Deus ipse reposcit. Nihil aliud habet homo in se verè proprium, quàm amorem, qui est totus thesaurus hominis, honorabilis, pretiosus, liberalis, perpetuus, & charissimus creatori. Inuenimus igitur rem quam maxime quærebamus. Qualis tibi quæso videtur? **D O M.** Res optima, præstantissima: & quod primū est, homini facillima. Nunc bono animo efficiar: habeo enim vnde retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi, diligam, amabo, amplexabor.

**R A E M.** Omnino æquisissimum est amori amorem repēdere, & liberalissimo, syncerissimoq; amatori Deo liberale syncerumq; reddere amoris obsequiū. Amor enim per se placet, & propter se: & præ cæteris acceptus est Deo, iucūdus, dulcis, amabilis. Licet enim Deus sit omniū verorū & pulchrorū bonorū ditissimus possessor, nec vlla re egeat: vult tamē ab homine munera Amoris accipere, quæ semper exposcit, quæ & ambit & diligit. Amor quippe solus est, per quem

potest.

potest homo correspondere suo amatori. Si  
 Deus te arguit, aut irascitur, aut minatur:  
 tu illi iuste nec irasci, nec minari potest. Sed  
 si te amaverit, tu iuste illum redamare po-  
 tes: non tamen ex æquo, cum amor Dei sit  
 infinitus, tuus verò parvus est, & mensurâ  
 habet. Debet tamen esse mundissimus, in-  
 tegerimus, sincerissimus, plenissimus, san-  
 ctissimus. Abominatur enim Deus cadu-  
 cum, permixtum, corruptumq; Amorem,  
 qui suo purissimo Amori respondere nõ po-  
 test. D O M. Nihil istac tua veritate verius.  
 R E A M. Cognoscis nũc, quia Amorem tuũ  
 abs te exigit amator Deus: audi consequen-  
 ter formam, quomodo amare te oporteat:  
 hanc Amoris formã & à creatore & a crea-  
 turis potes addiscere. Creator tuus præ cæ-  
 teris creaturis magis te diligit: ita & tu præ  
 cæteris tuum dilige creatorem. Item crea-  
 tor tuus, omnia alia propter te diligit: & tu  
 omnia dilige propter creatorem. Item  
 creator omnes suas creaturas in tuum trans-  
 mittit obsequium: tu verò quicquid ha-  
 bes optimum in illius famulatum expen-  
 de. Item creator tuus te diligit infinito  
 & perpetuo Amore: ita & tu illum semper  
 dilige ex toto corde tuo, ex tota anima  
 tua, & tota mente tua. Habes formam  
 Amoris de creatore: nunc eandem formam  
 recipe:

recipe à creaturis. Creaturæ impendunt tibi suum beneficium & obsequium de optimo quod habent, & totum quod possident ita & tu quod in te optimum habes, scilicet Amorem, tuo tribue creatori. Creaturæ totis viribus tibi deserviunt: tu quoque quicquid virtutum habes in amore tuo tribue creatori. Creaturæ cōtinuè, & sine intermissione, die ac nocte, sereno vel turbulento tempore tibi obsequuntur: ita & tu omni tempore, in prosperis & in aduersis, tuum dilige creatorem. Creaturæ soli tibi seruiunt, & nulli alteri: ita & tu solum tuum dilige creatorem, & neminem dilige, nisi propter ipsum. Creaturæ tibi seruiunt secundum propriam naturam, & modum suum: ita & tu debes obsequi Deo tuo secundum modum naturæ tuæ, ex libertate, & bona, spontaneaque voluntate. Creaturæ dant tibi sua munera in summa qua prævalent perfectione: Arborea enim & vites exhibent tibi suos fructus maturos, bonos, dulces, oblectabiles: non enim acciperes ab eis fructus amaros, virides, acerbos, corruptos. Ita & tu quoque da operam, vt Deo tribuas amorem maturum, dulcem, amabilem, bonum, integrum, perfectum. Postremò creaturæ non tibi seruiunt cum dolo, cum fraude, cum pigritia, ignavia, secordia: sed simplici, & prompta intentione:

intentione: Ita pariformiter serui Deo tuo, vt nō ambules in vnitate, & festinet in dolo pes tuus. D O M. Acriter me incendit institutio tua, & Amoris formam nunc abs te digestā studebo pro viribus æmulari: Nā vt video, nulla relinquitur homini excusatio, quin suum debeat amare factorem. Amor enim cūm filius sit liberæ voluntatis, à nullo impediri potest, quin omni momento suum possit opus implere. In amando quoque nullus labor, nullus dolor, nec tristitia, nec tædiū, nec fastidium: Amor enim omnes labores reddit suaues, amabiles, voluptuosos. Hinc iā manifestè lucet summa erga hominem dulcedo & benignitas conditoris, qui datis tantis beneficijs hominem non obligauit ad rem pœnosam, laboriosam, & fatigabilem: sed ad id quod maximè est appetibile, & delectabile.

*Debitum amoris, quod homo reddat creatori, ad hominis meritum & commodū reuertitur.*

C A P.

X X.

R A E M V N D V S.

**S**icut lucet benignitas magna creatoris, Sed quod obligauerit sibi hominem ad Amorem, rem maximè delectabilē: ita omnem excedit benignitatis mensuram, quod  
 g ipsam

ipsam Amoris obligationem ad solam conuertit vtilitatē. Licet enim Deus nostrum ambiat Amorē, & vehemēter exposcat: hoc tamē facit, vt inde homo diletur, proficiat, nobilitetur. Videmus enim quòd obsequiū creaturarū in magnā vertitur hominis vtilitatem: ita & obsequium Amoris, quod homo exhibet Deo, cū Deo prodesse non possit, (iple enim bonorum nostrorum non cget) vt homini prosit necesse est. **D O M.** Non debet igitur homo ociosus esse, sed sicut creaturarum recipit vtilitatem, ita & ipse opificem diligendo suis etiā debet cōmodis indulgere. **R A B.** Debet vtiq; . Duplex enim necessitas homini incūbit: Indiget enim Esse, & vt perseueret in Esse. Secundò indiget, vt habeat fructuosum atq; optimum Esse. A' seruitio creaturarū, quæ naturaliter, & ex necessitate seruiunt homini, homo recipit Esse, & durat in Esse: sed à seruitio Amoris, quod homo exhibet Deo, (qui liberè ac voluntariè agit, atque idè meritoriè) homo recipit fructuosum atque optimum Esse. Creaturæ seruiunt tibi, vt esse habeas: tu verò Deo obsequeris, vt optimè habeas. Sed quia præstantius est Optimè esse, quàm Esse solum: idè obsequiū hominis est sibi multò melius, quàm quod accipit à creaturis. Verùm quemadmodum

modum creaturarum seruitus est homini  
 continuò necessaria: ita & necessarium est  
 homini seruire Deo, si velit vtiliter per-  
 manere. **D O M.** Vehementer assentior. Nā  
 sicut necesse est homini corporaliter mori,  
 si suū illi creaturæ obsequiū denegarint: ita  
 & spiritualiter eū mori necesse est, si Deo  
 suo seruire cōtempserit. Qui ergo nō ser-  
 uit Deo, verè mortuus est, nec quicquam  
 proficit homini obsequium creaturæ, nisi  
 ipse seruiat creatori. Hoc enim secūdo ob-  
 sequio cessante, primū frustra impenditur.  
 Perdunt enim suam vtilitatē creaturæ, quæ  
 propter hominem institutæ sunt, si homo  
 suo factori obsequi contēpserit. Et talis ho-  
 mo, quantū in se est, cassat, & frustrat totū  
 vniuersum. **R A E.** Hinc manifestè intelli-  
 gis, oportere hominem per Amorem domi-  
 no deseruire: vt dū ipse diligenti obsequio  
 Deo colligatur, aliæ etiam creaturæ om-  
 nes homini seruiendo, homini copulan-  
 tur, & per hominem Deo. Obligatio itaque  
 anterioris omnia complet, omnia consum-  
 mat, & totum Deo alligat vniuersum. Vide  
 nunc mirabilem dulcemque circuitum. Ab Amoris  
 amore creatoris omnia processerunt, & obliga-  
 tio omnia consummatur. Et sic apparet palam, quòd  
 homo Deum diligens, est mediator qui summat.

dam inter creatorem , & ipsas res conditas: quia per ipsum cum Deo redeunt, & ad Deum. Quòd si homo Deo per amorem nò adhæserit, sicut ipse inordinatus est, & dissolutus, ita ipse in pœnam suam omnia disungit, dissoluit, diffibulat, nec creatori utilis, nec dignus creatura. D O M. In mirabilem me lucem Ræmunde extalisti, & in ardentissimam flammam, vnde tibi maximas habeo gratias. Arbitror enim, iam tandem te de amore vltimam sententiam posuisse. R A E M. Reuera non posui, multa enim, & magna de amore adhuc locuturus sum, & quæ stupere te faciant vehemèter. D O M. Oro te, obsecrans ò dilectissime, comple desiderium meum, & quod reliquum est ocyus ediscito.

*Homo obligatur amare etiam omnem creaturam, & præcipue Dei imaginem.*

C A P.

X X I.

R A E M V N D V S.

**V**Num adhuc nunc dicam: cætera alteri Dialogo cõseruabo. Sicut homo obligatur primo suum diligere creatorem, ita post ipsum omnes debet diligere creaturas: non in quantum sibi vtilis, aut necessariæ sunt, sed quia Dei amatoris sui creaturæ sunt. Et quia non omnes creaturæ sunt æquales,

æquales, sed vna est altera præstâtior, & illa omnium præstantissima & dignissima, quæ Dei in se imaginem, & similitudinem representat: idè præ cæteris homo debet sui creatoris imaginem, id est, hominem amare, colere, venerari. Cùm enim quilibet homo ita cõtineat in se sui creatoris imaginem, sicut cera forma signaculi, cui imprimitur: idè obligatur quisque diligere alterum sicut seipsum, siue amicus sit ille, siue inimicus: siue profuerit, siue etiã obfuerit. Semper enim homo imago Dei est, semper maximi conditoris nobilissimum plasma est.

D O M. Hinc ego palam excipio, oportere vnumquemque hominem diligere alterum sicut suam ipsius imaginem, sicut suam ipsius naturam: Et idè quilibet teëtur æstimare, & appetiari alterum sicut semetipsum. Tenetur quoque omne bonum, uod sibi quisque cupit, in quantum Dei imago est, hoc etiam alteri cupere, alteri impreari, alteri, si potest, etiam cõferre. Debet igitur esse inter omnes homines vna æterni fœderis compaginatio, vna pax, vna cõcordia, vnum velle, vnum nolle.

R A E M. Iustissimũ est, quod tu loqueris: Ex quo enim hæc obligatio, qua homo tenetur amare hominem, originem ducit ex obligatione qua homo altringitur diligere creatorem,

g 3 idè



idèd sicut ista est rectissima, & in iurè natu-  
 ræ fundata, & est prima iustitia: ita & alte-  
 ra est secūda, iustitia, recta sancta, & in iurè  
 naturæ radicata. Accipe nūc formam huius  
 obligationis à creatore, & à creaturis. Pri-  
 mūm creator omnibus hominibus indiffe-  
 renter suā partitus est imaginem, & suā si-  
 militudinem: tu quoque omnibus commu-  
 nicabilem te præbe, & liberalem. Creator  
 sine acceptione personarū omnes homines  
 inquantū sunt suæ imagines, communi di-  
 ligit amore: ita & tu quoq; omnem homi-  
 nē dilige. Creator æquali pietate omni ho-  
 mini sua beneficia indulget, & solem suum  
 oriri iubet super bonos & malos, & pluit su-  
 per iustos & reprobos: & tu quoque omni-  
 perenti te tribue, & quicquid habes liben-  
 ter impertiri stude. Secundò accipe hanc  
 formam & à creaturis: creaturæ, quæ homi-  
 ni iussu creatoris inseruiunt, non magis vni  
 obsequuntur homini, quàm alteri: non plus  
 pro vno laborant, quàm pro altero: neque  
 amplius maiorē respiciunt, quàm minorē:  
 nec nobilem, quàm ruralem: Elementa, plā-  
 tæ, arbores, animalia non plus seruiunt re-  
 gi, quàm militi: nec plus seruo, quā Domi-  
 no. Sicut ergo creaturæ homini obsequūtur,  
 inquantum Dei imago est, & æquales inter  
 se reputant omnes homines: ita & tu quoq;  
 æqualiter

æqualiter Dei imaginem in quolibet homine venerare, nec ætates naturali conditione alterum alteri præferendum. **D O M.** Non solum ex his, quæ dicis, colligo formam Amoris: verum etiam quantæ sit maiestatis, dignitatis, gloriæ, & excellentiæ imago Dei, luce clarius intueor: cui suus **Imago** creator tantâ impendit sollicitudinē, quàm Dei. honorat, diligit, veneratur: cui etiâ creaturæ multæ nobiles & sublimes inuigilant, seruiunt, obsequuntur. Satis hinc patet, quantum debet honorare homo hominē, quando illum & Deus maximus, & vniuersus orbis veneratur. **R. A. E.** Nolo etiam te lateat, quòd hæc obligatio Amoris redudat & reuertitur in sola hominis utilitatem, in suū cōmodū & meritū. Licet enim Amor tuus, quo proximū diligis, plerunq; illi aut utilis est, aut iucundus, tibi tamen semper est meritorius. Dum enim homo primò Deum diligit, ac tum proximum imaginē Dei, inde sibi colligit omne bonū suum, omne meritum, omne gaudium, laudē, salutē, & gloriā: Et quātò adiecerit plures propter Deum homines diligere, tantò ditescit amplius, tantò fit & nobilior, & seipso quotidie maior. Multa adhuc de natura Amoris, de eius viribus, & proprietatibus differenda sunt: sed vides, quia iā Sol hesperias se

mergit in vndas:nox quoque suas vmbrae  
iam minitans,& cibum nos & sumnum ca-  
pere adhortatur:In crastinum igitur, quæ  
de Amore supersunt referuemus.

P O M. Licet à tuo sermone inui-  
tissimus ipse diuellar:pareo ta-  
men votis tuis, vt paululum  
viribus recollectis,nouus  
in crastinum dispu-  
tator adue-  
nias.

# TERTIVS

## DIALOGO-

### GV S.

*De Amore, & viribus eius,  
conditionibus, & fructibus.*

*Amoris conditiones, ac proprietates.*

CAP. XII.

DOMINICVS.



**T**OTAM penè noctē insom-  
nem habui, ita eram tua spō-  
sione sollicitus. Optabam cre-  
brò diem fieri, & mollem, de-  
sidemq; Auroram arguebam,  
quòd Titani mariti croceum nollet cubi-  
le deserere. Occurro autem nunc tibi fe-  
stinus, & alacer audire quæ pollicitus es.  
Scio enim stupenda te, atq; admodum uti-  
lia de Amore dicturum. R. A. E. M. Amo mi  
Dominice ardens desiderium tuū, quod &  
me quoq; acriorem reddit, & magis spon-  
taneum. Meministi ne suprà me dixisse, ni-  
hil nos habere in nostra potestate, & quod  
verè sit nostrum, præter solum Amorem?

D. O. M. Memini equidem. Nam amor no-  
ster (vt ipse dixisti) est totum bonū nostrū,  
unicus & pretiosissimus noster thesaurus, &

g s cunctæ

cunctæ diuitiæ nostræ. Cætera quippe omnia & fortunæ, & corporis bona, nec vera, nec nostra sunt. R. A. M. Si ergo Amor est illud vnicū quod habemus: hinc sequitur, quod Amor bonus est totum bonum nostrū, & Amor malus atque peruersus est omne malū nostrū. Nā si nihil est verè nostrū nisi Amor, si Amor malus fuerit, quicquid habemus malū est: si bonus, bonum est. Sequitur quoque, si Amor noster bonus fuerit, nos etiam boni simus: si malus, mali. Solum igitur Amor hominis, hominē facit vel bonum, vel malū. Prætereà cū nihil possideamus verè nisi Amorem: ideò quando dedimus alicui nostrum Amorem, totū quod habebamus dedimus, nec quicquam reliquum habemus quod tribuamus. Hinc etiā sequitur, quod si perdidimus Amorem nostrum, omnes nostras diuitias perdidimus: tunc autem perdidimus, si illi nostrū Amorem contulerimus, cui omnino dare non debuimus. Prætereà, si bonum omne nostrum est Amor bonus, & malus Amor nostrum malum: sequitur pulchrè, quod virtus nihil sit aliud, quàm Amor bonus, & vitium Amor malus. Cuius ergo Amor bonus est, hic vir Virtuosus appellandus est: cuius verò Amor reprobus fuerit, hic Vitiosus, & reprobus censendus

sendus est. D O M. Præsentio dulcem  
 fragrantiam sermonis tui, & in mirabilem  
 me cogitationem cupis erigere, ut dum co-  
 gnouero omne bonum nostrum in Amore  
 constitutum, habueroq; de Amore veram  
 scientiam, habeam etiam & de toto homi-  
 nis bono maloq; scientiam. Quam qui igno-  
 rat, cæcus est, & manu tentans, & se & om-  
 nia nescit. R A S M. Hinc iam Amoris pro-  
 prietates attingamus. Quarum prima est, Proprie-  
 quod Amor virtutem habet valendi, con- tates A-  
 uertendi, transformãdi. Hęc est Amoris in- moris.  
 separabilis conditio: idẽ Amor vnit aman-  
 tem cum re amata, & in se transformat. Se-  
 cunda conditio est, quia Amor de sua natu-  
 ra est donũ liberale, sponte enim alteri se-  
 tribuit: cogi enim non potest, nec dari, nec  
 auferri se inuito. Hinc sequitur, quod Amor  
 est verẽ illius, cui datur, & transit in veram  
 possessionem rei amate, & idẽ res amata  
 in suo retinet dominio Amorem, qui sibi vi-  
 tro donatus est. Tertia cõditio, quod Amor  
 quocunq; vadit semper secum pertrahit  
 voluntatem, quæ habet plenum in homine  
 imperium, & ideo etiam secum portat to-  
 tum hominem. Et idẽ quando Amor alte-  
 ri se tribuit, totam tribuit voluntatem, &  
 totum hominem, qui etiam conuertuntur  
 in rem amatam. Quarta conditio, quod ista  
 conuersio

conuersio amantis in rem amatam non est violenta, non coacta, non laboriosa: sed spontanea, liberalis, dulcis, delectabilis: & ideò voluntas, quæ iungitur rei amatæ non potest ab ea separari per aliquam violentiam, sed spontè, merè, & liberè. Quinta conditio, quòd Amor licet mutet voluntatem in rem amatam, tamen Amor semper permanet liberalis Amor, & suam retinet naturam. Voluntas quoq; licet permutetur in rem amatam, cuius & naturam induit, & formam: tamen semper permanet voluntas, nec ideò destruitur, quia mutatur. Sexta conditio, quòd Amor talis efficitur, qualis est res quæ amatur: & talis fit ipsa voluntas, qualis & Amor. Res enim primò principaliter amata nomē, naturam, & formam Amori tribuit, & voluntati. Hinc sequitur, quòd si voluntas terram amet, terrea luteaq; sit, & Amor dicitur terrenus: Si amat res mortuas, caducas, superfluas, voluntas nuncupatur mortua, superflua, caduca: Si amat homines, humana dicitur: si Deum, diuina. Ex isto liquet, quòd homo potest per Amorem quæ gerit sponte mutari in rem multò se meliorem, vel multò se viliorem. Septima, quòd Amor ex sua natura semper se erigit ad amandum id quod est se præstantius, nobilius, & dignius. Hoc patet in naturis  
aliarum

aliarum rerum, quæ semper se ad meliora  
 & perfectiora sustollunt: Nam elementa  
 mutantur in plantas, plantæ nutriunt ani-  
 malia, quorum caro comesta in carnem for-  
 matur humanam. Ita ergo & voluntas no-  
 stra, & Amor noster, ut non degeneret à re-  
 bus sub se creatis, debet semper id amare,  
 quod est supra se, & amando in id. conuer-  
 ti, quod est multò se nobilius, præclarior,  
 excellentius. Verùm quia nihil est supra vo-  
 luntatem nostram, quod sit ipsa melius, &  
 perfectius, quàm ipse summus & æternus  
 Deus: ideò voluntas meritò tribuere de-  
 bet Amorem suum maximo Deo, & in  
 illum nobilissimum, & præstantissimum  
 conuerti & transformari. . . D O M I N I.  
 Meritò id quidem. Nam cum turpissimum  
 sit voluntatem (quæ regina est in regno ani-  
 mæ) se inflectere subter se ad lutea, caduca,  
 vilia, spurca, & contemptibilia: idcirco de-  
 bet se sursum erigere, Deum intueri, Deum  
 amare, Deum complecti, & in ipsum trans-  
 formari, qui est summum, æternum, nobilif-  
 simum, & optimum bonum. R A B M. Gau-  
 deo te sapere quæ dico: sed nunc consequen-  
 ter ausculta. Octaua conditio est, quòd  
 Amor, ex quo est res nobilissima, dignissi-  
 ma, & liberalissima, quæ mutat ipsam volū-  
 tatem in rem amatā, & ponit eam sub impē-  
 rio.



rio rei amatae, ideo valde iniustum & incongruum est, quod res inferior, & vilior ipsa voluntate, dominium arripiat super eam, eamq; possideat. Præterea cum Amor sit spiritualis, & intellectualis naturæ, & ideo etiam omni re corporali multò præstantior, idcirco nulla res corporalis est nostro Amore aliquatenus digna. Non debemus ergo amare nec mancipia, nec animalia, nec fydera, nec elementa, nec aurum, nec argentum, nec quicquam quod potest aliquo sensu apprehendi. Præterea cum indignum, atq; iniustum sit, quod res æqualis dominetur æquali: & quia omnis voluntas creata, in quantum creata, est alteri æqualis: ideo nulla creata voluntas est digna nostro Amore, nec debet nostræ dominari voluntati. Solus igitur Deus dignus est, qui à nobis ametur, qui nos possideat, qui nos in se conuertat. Nova conditio; quod Amor hoc habet à natura, quod semper capit & requirit Amorem: ideo nulla res debet amari, nisi quæ possit Amorem restituere, & vberius quàm acceperit. Nulla igitur res quæ est nostra voluntate inferior, debet principaliter amari, non elementa, non animantia, non aliqua corporalia, quia Amorem reddere non possunt. **D O M I N I.** Nihil verius, nam Amor, qui rebus inferioribus, & ratione ca-

rentibus attribuitur, maxima damna consequitur. Fit enim degener, fragilis, corporalis. Aut si versatur circa res humanas, fit humanus, nec fit se melior, nec perfectior. Deus igitur, qui Amorem refundere potest, & multò quàm noster præstatiorem, primò à nobis amari debet, cuius est Amor infinitus, increatus, æternus,

*Amor tantùm se dilatat vel amplificat,  
quantùm se amplificat res primò amata.*

C A P. X X I I I.

R A E M V N D V S.

**D**Ixi suprà, quòd Amor mutat voluntatem in rem principaliter, & primò amata: transit enim totaliter in eius dominium, & cum ea vnitur, & complicatur: & idcirco nō potest ascendere supra eam, sed ad quæcunque se extendit res primò amata, ad hæc omnia se Amor extendit. Hinc sequitur, q̄ res primò amata quāntū fuerit cōmunis, & vniuersalis, tantùm & ipse Amor vniuersalis fiet, atque communis. Si res amata fuerit aut particularis, aut priuata, Amor erit & particularis, & singularis. Sequitur quoq; res primò amata sicut est vna, ita generatur & vnus Amor in voluntate, qui est

qui est eiusdem cum ipsa naturæ. Et sicut non possunt esse plures res primò amatae, ita non potest nisi vnus esse Amor in voluntate. **D O M.** Hinc ego colligo, quòd res quæ primò diligitur, fundat, ædificat, & confirmat primum Amorem in voluntate, qui caput sit, & origo omnium aliarum affectionum, quæ pullulant à voluntate. **R A E M.** Prudenter ergo intelligis, quòd à re primò dilecta generatur in voluntate vnus primus Amor, à quo tanquam à radice surgit quædam arbor in anima, quæ per tot ramos se multiplicat, quot sunt res quæ colligantur cum re, quæ primò diligitur. Verbi gratia: ab vno seminis grano surgit arbor cum innumeris ramis, frondibus, floribus, ac fructibus. Quale semen, talis & arbor, & omnia quæ ab arbore procedunt: qualis fons, tales sunt fontis riuuli. Hinc intellige, si Amor tuus fuerit bonus, iustus, ordinatus, omnes Alij Amores, qui inde procedunt boni erunt, iusti, ordinati. Si malus fuerit & corruptus, reliqui mali sunt, & corrupti. Ex isto consequenter animaduertis, quòd necessariò omne illud amatur, quod coniunctum est cum re primò amata, & necessariò odio habetur quicquid aduersatur rei primò amatae. Idcirco primus Amor, quia solidissimè iungitur cum re amata, nulla

ratione

ratione auelli, aut destrui potest, nisi venerit alia res primò amata. quæ sit ipsa fortior, validiorq; Quando igitur res primò amata est ipse Deus, qui est summa virtus, summa fortitudo, summa nobilitas, vera æternitas, & æterna veritas, fit. Amor noster fortissimus, nobilissimus, verus, æternus. Et ab hoc Amore pullulant infiniti Amores, eò quæst cõmunissimus, vniuersalissimus & per cuncta protensus: Qui ergo principaliter Deum amat, amat cū Deo, & propter Deum, omnes creaturas, & fit Amor eius amplissimus, & vehementer expansus. Si pateris, dicam tibi duo exempla, vnde breuiter, & eleganter, ista cognosces. **D O M.** Libenter te au djo prosequere. **R A E M.** In matrimonio vir principatur, mulier subijcitur. Item mulier non potest habere nisi vnum maritum, nec potest à marito quandiu viuit separari. Pari modo voluntas subijcitur rei amate, nec potest habere nisi vnam rem principaliter amatam, nec ab ea potest quandiu ipsa durauerit separari. Aliud exēplum, quo melius cuncta cognoscas. Demus aliquem hominē pauperē, & genere obscurū, qui habeat sex filias penitus æquales natura, industria, ignobilitate, vilitate, quarū vna nubat rustico, altera ciui, tertia militi, quarta duci, quinta regi, sexta orbis Imperatori.

h Licet

Licet enim omnes hæc sex filiarum eiusdem sint  
 & generis, & paupertatis, propter viros ta-  
 men, quibus nupserunt, vna sit altera præ-  
 stantior, nobilior, sublimior. Pari modo in-  
 tellige de voluntate, quæ vel ascendit, vel  
 descendit iuxta rei amatae vel dignitatem,  
 vel ignominiam. Item sicut videmus, quod  
 sponsa sponso suo copulata, nouum quæ-  
 dam concipit Amorem, qui est primus Amor,  
 virtute cuius amat omnes, qui habent cum  
 sponso societatem, vel amicitiam, vel pa-  
 rentelam. Hos enim omnes antè non ama-  
 bat, sed propter Amorem viri nunc singulos  
 amat. Quod si vir moriatur, & mulier acci-  
 piat alium virum, tunc Amor primus, & o-  
 mnes alij qui inde originem traxerunt, de-  
 struitur: & generatur in voluntate mulieris  
 nouus Amor, qui etiam radix efficitur alio-  
 rum Amorum. Præterea quando mulier vi-  
 rum accipit bonum, diuitem, fortem, nobi-  
 lem, prudentem, tunc ipsa permanet in pa-  
 ce, in requie, in exultatione, in securitate,  
 in affluentia, in omnium rerum copia: Quod  
 si nupserit viro pauperi, caduco, misero,  
 ignobili, sordido, contemptibili, ipsa effi-  
 cietur inops, fragilis, ignobilis, sordida,  
 contemptibilis, plena cladibus, angustijs,  
 & miserijs. Hæc cuncta quæ de matrimonio  
 diximus, applica ad voluntatem, & ad rem  
 primò

primò dilectam, & utrobique optimam inuenies consonantiam. D O M. Capió egregiam similitudinem: satis enim ex his quæ nunc dixisti apparet, quòd dum voluntas nostra principaliter Deum amat, tunc fit sublimis, nobilis, secura, pacifica, quieta, robusta, plena gaudijs atque diuitijs, talis est enim ille quem ipsa diligit: Quòd si amaueit creaturam, cum omnis creatura sit fragilis, mobilis, fluens, indigens, insufficiens, tunc ipsa præ inopia tribulatur, contristatur, affligitur, nunquam secura, nunquam pacifica, nunquam firma. Sed, quæso te, ex quo de re primò amata iam sæpenumero loquuti sumus: quot sunt, aut esse possunt, res principaliter amatae?

*Duas tantum esse res principaliter amatas: & de inimicitia earum adinuicem.*

C A P. X X I I I I.

R A E M V N D V S.

**D**uas tantum sunt res principaliter à voluntate dilectæ: nec possunt esse plures, sicut nec duo rectores, vel pontifices vnus ecclesiæ. Hæ duæ sunt vel Deus creator, vel creatura. Porro inter creaturas omnes illa res erit primò dilecta ab ipsa voluntate, quæ illi est magis amica, atq; ppinqua. Verum quia ipsa voluntas potest reflectere

h 2 suum

suum amorem ad semetipsam, ideò inter creaturas maximè amabit seipsam, vt amicam sibi, & vt propinquam. Quando igitur Amor Dei in voluntate non est primus, tunc ipsius voluntatis Amor primus efficitur. Et sic homo quando Deum non amat, amat seipsum, & suam voluntatem, & ipsa voluntas se amando in semetipsam conuertitur, & facit seipsam suum proprium fundamentum extra Deum. Et quia principaliter solam se amat, ideò cætera quæ secundariò amat, omnia propter se amat, & in omnibus non nisi se amat, & quicquid vult, propria vult volùtate, quia nullã aliã sequitur voluntatem. Hæc autè talis scelestissima impijssimãq; volùtas se solã diligens, se complectens, rapit violenta manu Deo conditori suum honorem, suam coronam, suam gloriam. Amare enim propriam voluntatem soli competit eterno Deo: igitur quando humana voluntas amat seipsam, & homo suam primò diligit voluntatem, tunc illud sibi attribuit, quod possidet solus Deus, & facit se Deum, & dat sibi ipsi Amorem, laudem, honorem, & gloriam. Atq; hoc modo fit capitalis aduersarius, & inimicus Dei, longissimè tamen Deo dissimilis. Nã licet sibi tribuat honorem, deitatem, & gloriam: Habet tamen qualitates in se turpissimas.

• Nam

Nā qualis est Amor eius, talis & ipse, Amor enim eius est inordinatus, iniustus, falsus, tortuosus, in Dei contemptū, odiū, & iniuriam concitatus. **D O M.** Tremere me facit sermo tuus, ad eum enim & vehemens est, & formidabilis. **R A E M.** Vtinā totus mundus audiat exclamantem, credo quod multi à tanta se iniustitia, ac Dei iniuria refræarent. Verum quia in tenebris sunt amatores propriæ voluntatis, id eundem non aduertunt quomodo cōtra se prouocēt Deum, vsurpando sibi Dei prærogatiuas, & dignitates. Qui enim se Regem facit, aduersarius Regis est, & criminis læsæ maiestatis reus detinetur. Sed quæso te paulò nunc diligentius attēde virtutes, conditiones, & controuersias horū duorū Amorum. Duo amores primi, duæ sunt radices omnium aliarum affectionū. Et quia sunt inter se capitales inimici, id eundem si vnus bonus est, alius vt malus sit, oportet. Amor Dei, sicut est primum bonum nostrum, primum lumen à quo oritur omne lumen, prima rectitudo, prima iustitia, prima amicitia, prima fortitudo, prima quies, prima tranquillitas, prima consolatio, prima lætitia, prima virtus, prima veritas, prima vita, & omnium bonorum operum, & cogitationum principium: Ita Amor sui ipsius est primū malū, à quo ori-



tur in homine omne malum, prima cecitas, primę tenebrę, prima obliquitas, prima iniustitia, prima discordia, prima imbecillitas, prima turbatio, prima desolatio, prima tristitia, prima rixa, prima nequitia, prima falsitas, prima mortalitas, & omniũ maiorũ operum, & affectionũ infauitũ principium. Amor Dei facit voluntatem hominis iustã, sanctã, humilem, benignam: sed Amor sui facit eam iniustã, irreligiosam, superbam, turgidam, proteruam. Amor Dei facit voluntatem quietam, dulcẽ, amicabilem: sed Amor sui reddit eam turbidã, amaram, litigiosam, odibilem, Amor Dei facit voluntatem largissimã, amplissimã, capacissimam: sed Amor sui facit eam angustam, coartatam, constrictam. Amor Dei reddit voluntatem summẽ liberã, nulli creaturę subiectam: sed Amor sui subijcit volũtatẽ omni creaturę, & famulam constituit, seruã, atq; captiuam. Amor Dei facit eam immobile, stabilem, firmã, & perpetua virtute vigentem: sed Amor sui, cùm circa creaturã versetur, quę vana est, fluida, mobilis, & caduca, reddit voluntatẽ instabilem, fluctuantẽ, & omni vanitati subiectã. Amor Dei facit voluntatem vnitissimã, atq; idẽ fortissimam: sed Amor sui facit eam diuisibilem, fragilem. Amor Dei facit voluntatem di-

uitem,

uitem, opulētam, optimis reſectā dapibus:  
ſed Amor ſui eam vacuā dimittit, elurientem,  
inanem, & omnibus egentem bonis.  
Amor Dei facit voluntatē habitare in ſua  
patria, in ſuo regno, in ſua domo: ſed Amor  
ſui facit eam exulem, aduenā, peregrinam,  
& profugam ſuper terram. Amor Dei facit  
voluntatē pulcherrimā, & miro decore for-  
moſam: Amor ſui facit eam horridā, tetrā,  
ſqualidam, & turpiſſima contagione ſœda-  
tam. Poſtremò, Amor Dei clariffimo lumi-  
ne irradiat voluntatē, & hominis intelle-  
ctum, vt nouerit homo ſeipſum, & Deum,  
& omnia bona: ſed Amor ſui, quia tenebro-  
ſus eſt, denſiſſima caligine cor hominis ob-  
nubilat, vt nec Deū, nec ſe, nec omnia ſciat.

**D O M.** Reuera præſtatiſſimus ſermo tuus,  
& imis præcordijs reponendus. Vtinā mor-  
talis homo hæc animaduerneret, deſinatq;  
in iniuriā ſummi Dei ſe tam nequiter ada-  
mare. **R A E M.** Vnum adhuc reſtat, quo Dei  
Amor maximè commendatur, & Amor ſui  
meritò condemnatur. Amor enim Dei cūm  
ſit vniuerſalis, poteſt eſſe vnus, atq; conſi-  
milis in multis, imò in infinitis hominib<sup>9</sup>:  
quod dum fuerit, tunc neceſſario pax ma-  
gna, & vera, perpetuaq; cōcordia illo Amo-  
re durante inter homines perſeuerat: ſunt  
enim inter ſe vniti, quieti, pacifici, lati, iu-

cundi, & de alternis bonis inuicem gratulabundi. Sed quando quisque primò diligit seipsum Amore priuato, tunc propriū quærit honorem, suum cōmodum, suam voluptatem, suam dignitatē: atq; impugnat honorem alium, vt defendat suū: & odit, atq; execratur, & persequitur omne bonum vel corporis, vel animæ, quod videt in alio, dūmodò illud repugnat bono suo. Ex isto priuato Amore emergit omne malū quod contra se homines crudeliter admittunt. Inde bella, seditiones, sectæ, inimicitia, inuidia, æmulationes, contentiones, animositates, iræ, rixæ, contumelia, rapina, stupra, adulteria, incēdia, & mille malorū genera. **D O M.** Terribile auditu est, quod loqris. **R A E M.** Atque multò terribilius perpetratu: Nam si voles cordis oculis intueri, vidēbis, quòd ab Amore proprio, tanquàm à vipera quadam virulenta, septem mortalia peccata nascātur, sub quibus omne vitiorū germen continetur. Homo enim qui seipsum pequer diligit, diligit corpus suū, diligit & animam suam: & ideò propriam excellentiam quæ est animæ, & propriā delectationem, quæ est carnis. Et propter ista duo aut conseruanda, aut augenda, maximam cōtrahit amicitia cum rebus externis, cum diuitijs, & pecunijs. Pecuniæ enim hominis honorē

augent,

augent, & voluptatem. Quærit etiam scientias, officia, dignitates, quæ suum promoveant honorem. Nascuntur igitur repente ex Amore priuato quatuor corruptissima mala, scilicet, Superbia, Auaritia, Gula, Luxuria. Deinde, cui inest Amor honoris & voluptatis, necesse est, vt odio habeat, & persequatur omne id, quod potest suum, vel honorem, vel voluptatem destruere: ideo concipit grauem Iram, quæ est Amor vindictæ, & Inuidiam, qua dolet de alieno bono, in quatum est suo contrarium, vel gaudet de alieno malo, prout inde recipit adiuumentum. Et quia voluptas corporis torpore, atque otio pascitur, & labores fugitat, & exercitia, inde Accidia emergit, & Negligentia portus omnium vitiorum. D O M. Aded acerbissimo animo in priuatum Amorem hæctenus inuexisti, vt adiutore Deo illum à me velim penitus abigere, & in solo conditoris Amore vires animumq; locare.

*Fructus, qui ex his duobus Amoribus nascitur: & de proprietatibus Gaudij.*

C A P.

X X V.

R A E M V N D V S.

**V**T libentius faciliusq; possis efficere quæ nunc spondes, necesse est tibi diligenter

ligenter aduertere, qui sint fructus qui nascuntur ex Amore diuino, & Amore proprio. Certissimum enim est, quod sicut de plantis atq; arboribus expectatur fructus, ita de qualibet alia re inquirimus quem faciat fructum, quam afferat vtilitatē. Quia igitur in nostra volūtate tanquā in agro quodam possunt plantari duo principales Amores, scilicet Amor Dei, & Amor sui: idē summopere considerandum est, quem fructum afferat Amor Dei, & quem Amor sui. Et sicut non possunt esse nisi duo Amores primi, ita non sunt etiam nisi duo fructus vltimi, qui inter se sunt omnino contrarij, sicut & Amores primi. Verū quia ex omni opere, quod agit homo, non permanet secum finaliter nisi Gaudiū vel Tristitia, hoc enim est totū lucrum quod defert de laboribus suis: idē Gaudium vel Tristitia finales sunt fructus omnium operum humanorū. Nam quicquid homo molitur, quicquid operatur, ad hoc respicit, vt gaudeat, iucūdetur, exultet. Cū autē gaudium adeptus fuerit, nihil aliud quærat, nihil aliud concupiscit, quia nulla potest re alia satiari. Et quia Tristitia Gaudio contraria est, idē omnis homo fugit Tristitiā, vt gaudium amplexatur. Verū tamen quia verū gaudiū est verus fructus hominis bonus,

nus,

nus, & vera tristitia fructus verè malus: idè  
 necesse est quòd à diuersis, & contrarijs se-  
 minibus orientur. Verum igitur gaudium  
 oritur ab Amore Dei, & vera mœstitudo  
 ab Amore nascitur sui. Et quia Deus est im-  
 mortalis, immensus, summè pulcher, sum-  
 mæ potentix, bonitatis, & sapiëntiæ: ita Gau-  
 dium de Amore Dei est immortale, immè  
 sum, pulcherimum, potentissimū, fructuo-  
 sissimum, & optimū. **D O M.** Si gaudiū ho-  
 minis est immortale, ergo & voluntas ho-  
 minis: & per consequēs anima hominis est  
 immortalis, quod Epicureorū grex maxi-  
 mè diffitetur. Sed nunc vt cœpisti prose-  
 quere. **R A E M.** Audisti itaq; quia Gaudiū  
 est verus fructus Amoris Dei: nunc pro-  
 prietas huius Gaudij desiderāter aduerte.  
 Prima Gaudij pprietas est, quòd est eius-  
 dem naturæ ac conditionis, qualis est res  
 primò dilecta, & qualis est primus amor.  
 Hinc sequitur, quòd sicut Amor Dei est se-  
 men iustū, purū, sanctū, sincerū, immacu-  
 latum, atq; optimū: ita & Gaudiū, quod est  
 eius fructus, sanctissimus est, & verus re-  
 ctus, ordinatus, immaculatus, pulcher, diui-  
 nus. Hoc autem tale Gaudiū includit verā  
 lætitiā, iucunditatē, oblectationē, hi-  
 laritatē, tranquillitatē, delicias, iubila-  
 tiones, suauitates, satietates, & mille bona.

Secun

Secunda conditio, quòd sicut fructus arborum & plantarū viuificat, nutrit, & sustentat: ita & Gaudium dat vitam homini, atq; inde nutritur, & sustentatur cor eius. Nam sicut Tristitia mors hominis est: ita Gaudium cor hominis confirmat, viuificat, & oblectat. Tertia conditio, quòd Gaudiū affert homini totū complementū finalis boni sui: Nam plenū hominis Gaudiū est, hominis vltima perfectio, vltima beatitudo, quam cum habuerit, nihil valet vltra appetere, nihil amplius concupiscere, sicuti infra statim patebit. Quarta conditio, quòd sicut Amor Dei est intra nos, ita & Gaudiū intra nos est: nec est necesse in rebus externis, in auro scilicet, vel argento, nō in gemmis, aut margaritis, nō in officijs, aut p̄fectorijs Gaudiū quærere. Sicuti enim Amor portatur in sola hominis voluntate: ita & gaudiū, atq; idcirco totū hominis bonū in sola est hominis volūtate. **D O.** Errāt igitur, qui externa, & caduca fortunæ bona, hominis bona arbitrāntur: quiq; & ea quotidie quærunt, diligunt, amplexantur. **R A E M.** Quantum hi errēt, sicut ex præcedentibus, ita & ex sequentibus luculenter intelliges. Prius tamen quod cœpimus explicemus. Quinta conditio, quòd quantum Amor dilatatur, & crescit, ita & crescit, & multiplicatur

catur

eatur Gaudium. Ideò sicut Amor Dei se extendit ad omnes creaturas, inquantùm Dei sunt, & præcipuè ad hominem, qui est viua imago, & similitudo Dei: sic & Gaudium se dilatat ad omnes creaturas, & principaliter ad imaginem creatoris, qui est homo. Hinc sequitur, quòd vnusquisque homo Deum amans, præter Gaudium quod concipit de Deo, habet adhuc infinita Gaudia de creaturis, & maximè de quolibet homine, qui est proxima imago maximi creatoris. D. O. Palàm nunc video, quòd de Amore Dei etiã in hac vita homo colligit inæstimabilem fructum. Nam ex quo semper est in amore recto, bono, & suavi: ita est in Gaudio recto, dulci, & optimo secum in corde suam habens vitam, suas diuitias, suas voluptates. Nihil itaq; extra quærit, nihil concupiscit, nulli inuidet, nulli irascitur, nulli contrariatur: sed est plenus suo bono, suo scilicet Gaudio, quod est optima vita cordis. Hoc autem Gaudium potest continuè augeri, & multiplicari, quãdo Dei imago per homines multiplicatur, vt quot sunt homines, tot sunt Gaudia: & quia numerus hominum potest crescere in infinitum, ita & cumulus Gaudiorũ. Beati ergo, qui Deum diligunt, quoniam fructum lætitiæ copiosissimum consequentur.

De vit



*De vltimo Gaudio, quod post mortem erit: de  
Amore Dei, & salute proximi.*

C A P. X X V I.

R A E M V N D V S.

**D**Iximus paulò antè de Gaudio, quod nascitur de Amore Dei in hac vita: nūc dicemus de Gaudio, quod erit de Deo, & proximo, post hanc vitā. Cū enim Gaudium sit fructus Amoris, necesse est, quòd veniat in tanta plenitudine, vt vltra crescere non possit. Dignum profectò est, vt sicut voluntas hīc inhæsit Deo per Amorem, ita illic inhæreat per Amoris fruitionem. Verum cū ex clara Dei visione sit Amor feruentior: nam ex quo Deus est summè pulcher, summè dulcis, summè benignus, bonus, nobilis, & omnium Gaudiorum diuitiarumq; plenissimus, idèò quantò perfectius videbitur, tantò ardentius amabitur, & tantò copiosius in ipso anima iucundabitur. Videbimus enim Deum maximum, & optimum facie ad faciem, clara, certa, & perfectissima visione: & tunc mirabitur, & dilatabitur, & iucundabitur cor nostrum. **D O M.** Sed quæso te, quomodò audebimus tantam à Deo sperare gloriam? **R A E M.** Solo Amore. Nisi enim Deus, quem hīc in fide anima dilexit, ostendat seipsum manifesta

festa visione, non completeret, nec meritum,  
 nec ius Amoris. Amor enim verus om-  
 nia aperit, omnia secreta revelat: hoc  
 Amoris natura requirit. Amor ergo no-  
 ster nobis Deum ostendit, Deum facit vide-  
 re, amplecti, venerari, & ipsi inhærere, &  
 iugiter delectari. Veruntamen quoniam  
 Deus est infiniti decoris, suavitatis, mansue-  
 tudinis, humilitatis, sapientiae, maiestatis, &  
 perfectionis: idè anima illic Deum non  
 amabit propter dona, quæ cõtulit: hinc enim  
 Amor mercenarius, & impur<sup>9</sup> est: sed idè,  
 quia Deus verè ex seiplo, & ex sua im-  
 mensa bonitate plenissimè amabilis, & am-  
 plexibilis est. Et ex tali Amore nascitur per-  
 fectissimum Gaudium, atq; purissimũ. Hoc  
 autem Gaudium quia nemo poterit aufer-  
 re, idè erit certissimum, firmissimum, &  
 summè securum. Et hoc quidem erit Gau-  
 dium de Deo. Nunc superest, vt aliquid de  
 Gaudio, quod ex proximorum felicitate ca-  
 piemus breuiter differamus. In illo regno  
 vnusquisque tantũ amat alterum, quan-  
 tũ seipsum: & idè tantũ gaudet de bo-  
 no alterius, quantum gaudet de suo. Et quò-  
 niam illic erunt innumerabiles, quos om-  
 nes vt nos ipsos diligemus: hinc sequitur,  
 quòd æqualiter de illorum felicitate, vt  
 de nostra gaudebimus. Non modò ergo  
 Gaudi

Gaudium nostrum duplicabitur, aut triplicabitur: sed in mille iubilos, imo infinitos excrescet supra mēsuram Gaudiorum, quæ de propria beatitudine singuli obtinebitis. Cum igitur nemo illic sit, qui suæ felicitatis Gaudium ad liquidū concipere possit: vide nunc, quomodo capiat in alijs tantorum gloriā Gaudiorū. Prætereā cum illic quilibet plus immensum Deū amet, quàm seipsum, & omnes alios secū: inde sequitur, quod sine cōparatione plus gaudebit de felicitate Dei, quàm de sua, & omnium aliorum secum. Certè nunc vidisti magnitudinem, & multitudinem Gaudiorū post hanc vitam. Quid nūc animi habes? D O M. Optimi nunc certè animi sum. Sed de corporibus nostris quid obsecro futurum reris? R A E M. Noli hinc aliquatenus trepidare. Ipsa enim anima, quæ in cælis Deum amat, amat & corpus suum: vult ergo vt reparetur, & sibi restituatur, vt totus homo integrum viuat, & feliciter viuat. Quia ergo anima vult, vt corpus reparetur, idè & reparabitur: quia voluntatē se amantium Deus faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Vt igitur animæ Gaudium cōpleatur, recipiet suum corpus, non quale nūc est graue, passibile, mortale: sed pulchrum, decorum, formosum, instar solis lucidū, immortale,

impas-

impassibile, agile, subtile, spirituale, & animæ operationibus maxime conforme. Præterea cum anima amet omnes creaturas, in quantum Dei sunt, ut de suo Amore amplius gaudeat, ideo totus mundus debet in melius renouari, & vestem induere iucunditatis, & perpetuæ pulchritudinis. Nam sicut totus homo in anima, & corpore ad sublimiorem, & nobiliorem statum reformatur: ita & totus mundus, qui propter hominem factus est, quasi de regis sui, hoc est hominis felicitate congratulans, nouis incorruptionis vestibus induetur. **D O M.** Merito id quidem: Sicut enim omnia profluunt ex Amore, Amor autem generat de se Gaudium, qui est fructus eius: ita ex consequenti sunt in gaudio omnia: sicq; disponuntur, ut ex ipsis sequatur Gaudium maximum, quod est fructus omnium. Sed quid tibi nunc subito contigit rogo, quod facies tua tristibus rugis obfuscarur? Acerbum nescio quid nunc loquuntur es.

*Fructus, qui nascitur ex Amore sui, & proprietates eius.*

**C A P. X X V I I.**

**R. A. E. M. V. N. D. V. S.**

**V**erum dicis: nã de fructu amarissimo, qui de amore sui nascitur, dicturus, acerbiter eum solo odoratu præsenties, i olfactus.

olfactus mihi omnis & gustus amaricatus  
 est credo & te quoq; eadē passurum. Amor  
 sui etiam de se Gaudiū generat: qui enim  
 id fuerit adeptus, quod amabat, aut certis-  
 simē se adepturū sperat, necesse est ut gau-  
 deat. Cū enim quis amat suam excellen-  
 tiam, suam laudem, suā corporis volupta-  
 tem: amat quoq; omnia externa bona, quae  
 vota sua promouent, & perficiunt. Et quia  
 haec omnia adipisci possunt, ideo potest in  
 hac vita homo gaudere, gestire, tripudiare.  
 Verū quia haec omnia amitti possunt, de-  
 strui, derelinqui: & homo id odit, quod po-  
 test haec sua bona destruere: ideo ex tali  
 Gaudio nascitur amara tristitia, anxietas,  
 inuidia, sollicitudo superuacua. D O M.  
 Hinc intelligo tale Gaudium miserum esse,  
 superfluum, caducū, falsum, sophisticum,  
 quod intus abscondit inexpiabilem calami-  
 tatem, & eladem. R A S. Melius istud in-  
 telliges, dum huius Gaudij proprietates  
 clarius introspexeris. Prima huius Gaudij  
 conditio est, quod sicut Amor proprius est  
 inordinatus, iniustus, falsus, tortuosus, cor-  
 ruptus, & immūdus: ita est & Gaudiū, quod  
 ex ipso generatur. Itē sicut Amor sui est o-  
 mnium pessimus, nequissim⁹, malignissimus,  
 prima mors, prima cæcitas, prima calami-  
 tas, & omnium malorum, mēdaciorumq; fonta

lis

lis origo: ita est & Gaudiū quod emergit  
 ab ipso. Præterea sicut Amor sui est edire-  
 cto contra Deū, & in Deū acriter rebellis  
 auferens, quantum in se est, Deo suā coro-  
 nā, & gloriam: ita & istud Gaudiū inimica-  
 tur Deo, fitq; homo multò amplius cōtra-  
 rius Deo, turpiter contra eum gestiendo,  
 quàm nequiter amando. Hoc enim Gaudiū  
 contemptum gignit, et iniuriam omnium  
 maximā. Nihil tā improbū, tā peruersum,  
 quàm lætari hominē cū malē fecerit, &  
 exultare in rebus pessimis. Grāde enim ma-  
 lum, amare aliquid contra Deum: sed lōgē  
 grauissimum, lætari, exultare, gestire, com-  
 placere. Hoc enim venenum mortiferū est,  
 & insanabile, & æternæ damnationi proxi-  
 mū. D O. Fœtorē, acerbitemq; huius pes-  
 simi fructus etiam nunc ipse percipio, vn-  
 de & nares, atq; ora ocyus obfirmo. R A E.  
 Expecta quæso parumper, & multò ama-  
 riora cognosces. Sed vt perfectius id fiat,  
 duo hæc Gaudia, scilicet quod est de Amo-  
 re Dei, & quod nascitur de amore sui,  
 contra se collocemus, vt magis cogni-  
 ta elucescant. Primum Gaudium oritur  
 de iustitia, de veritate, & bonitate, de  
 æternitate, de pulchrorum omnium radi-  
 ce: sed secundū Gaudium nascitur de iniu-  
 stitia, de falsitate, de vanitate, & de malorū

omnium scaturigine. Primum Gaudium oritur ex Deo, & est secundum Deum: alterum oritur ex diabolo, & est contra Deum. Primum consolidat, reficit, satiat, vnit hominem cum Deo, augetque & multiplicat amicitiam Dei: Secundum diuidit, elongat à Deo & hominem Dei inimicū constituit. Primum est secundū hominis naturā, & secundum ordinem vniuersi: sed alterum est contra hominis naturam, & contra ordinē vniuersi. Primum potest haberi de amore Dei gratis, sine labore, sine expensis, sine aliorū adminiculis: sed secundum non habetur, nisi cum labore, cum anxietate, cum mœnore, cum odio, cum aliorū damno, & multis rerum temporalium expensis. Primum facit hominem benignum, mansuetū, modestum, suauem, mitem, & humilem: secundum verò immisericordem, immitem, crudelem, turgidum, inflatum, superbum. Primum Gaudium auget, conseruat, multiplicat vnitatem, pacem, concordiam, amicitia inter homines: secundum multiplicat offensiones, inimicitias, sectas, discordias, rixas inter homines, & omne malum. Primum Gaudiū est vitale, salutiferum, desiderabile, gloriosum, honestū: secundū mortiferū est, ignominiosum, aspernabile, ingloriū, inhonestū. Et breuiter vt omnia in  
summa

Summa referam, primum Gaudium auget amorē omnis boni, & illuminat, lætificatq; intellectu. Secundum sentina est omniū malorum, & omniū vitiorum nequissimū desiderium, animum hominis tenebrosa caligine vehementer obscurans. D O M. Vtinam totus terrarū orbis exaudiret has voces tuas: credo desineret nequiter se amare, se vanis speciebus & Gaudijs attollere, solum creatorem in reliquum amantes, in ipso solo sperantes, gaudentes, exultantes.

*Quisnam fructus post hanc vitam ex Amore sui nascatur.*

C A P. X X V I I I.

R A E M V N D V S.

**O** Perepretium erit nunc aduertere, quē fructum pariat amor sui post hanc vitā. Sicut suprā patuit, Amor Dei gignit post hanc vitam æternum & infinitum gaudiū: ita Amor sui, qui Dei amori contrarius est, gignit post mortem, æternam infinitamq; tristitiam. Carentia enim immensi Gaudij, immēsam mœstitudinē coarguit, & omnis mali præsentia. Duobus enim modis contingit aliquem vehementer tristari: Primò, **Tristitia duplex.** quādo ea re carere compellitur, quā maxime delectatur, & quæ sibi est plurimū necessaria. Secundò, quādo id semper cogitur possidere,



possidere, quod summè odit & aspernatur, & quod suæ naturæ vehementissimè contrariatur. Et tunc excedit omnem mensurâ miseræ, quando hoc malum, quod homo cogitur retinere, suæ est insitum voluntati. Nunc pauca de primo. Post hanc vitam anima nihil habebit eorū, quæ hîc vitiosè dilexit: non laudem, non gloriam, non voluptatem, non aurū, non argentum, non famam, nō scientiam. Et quia anima erit exuta carne tenebrosa, idè clarissimè seipsam cogitabit, se cognoscet, & intelliget ad quid creata fuerat, & quantum erat bonum habitura, quod & perdidit, & quare perdidit: Cognoscetq; quòd ipsa suo vitio infinitum bonum perdidit, quod in æternum recuperare non poterit. Et licet immenso desiderij æstu hoc bonum appetat, cū illo carere nequeat, intelliget tamen se id nunquā accipere posse: & idè suprâ quàm credi potest dolebit, anxietur, contristabitur.

**D O M.** Reuera incomparabilis miseria, & tristitia inæstimabilis, summo bono vehementer egere, illud votis omnibus exposcere, desiderare, nec tamē aliquando acquirere posse. **R A B.** Secunda tristitia est, quādo anima id semper cogitur retinere, quod omnium maximè odit, atq; aspernatur. Post hāc vitā (vt dixi) anima plenissimè se cognoscet,

gnoscet, & idē videbit se, suāq; voluntatē,  
 Deo inimicam, tortuosam, sibi ipsi contra-  
 riam, inordinatissimam, turpissimā, peruer-  
 sissimam. Hęc itaque in se considerans, se  
 vehementer odio habebit, aspernabitur, &  
 execrabitur. Hunc enim malorum suorum  
 factorem turpissimum, continuum geret in  
 narib<sup>9</sup> suis, nec à se poterit expellere in æ-  
 ternū. In tantū enim se ipsam, & suam de-  
 formitatē odio habebit, vt cupiat penitus  
 non esse, non natam fuisse, Deū vindicem  
 funditus interire, angelos omnes & beatos  
 secum in tartara demergi, & omnem crea-  
 turam in nihilum redigi. Verū quia hęc  
 fieri non poterunt, idē intolerabili mœro-  
 re perfusa, amarissima cōfusione tabescet,  
 fiendens, indignans, & blasphemās. D O M.  
 Meritō hęc illi miseræ cōtingunt, vt quia  
 prius amavit se ipsam, & omnia alia propter  
 se, ita postea incipiat primū odisse se ipsam,  
 vt deinceps omnia alia odio habeat ppter  
 se. Vt sicut prius nō gaudebat, nisi de se, &  
 propter se, ita postmodū nō tristetur, nisi de  
 se, & propter se. Et sicut prius omnia sibi  
 propter se placuerunt, ita omnia postmodū  
 sibi propter se displiceant. Et quæ antea se  
 fecerat vt Deū, se primū amando, sibi &  
 honorē & gloriam tribuendo: ita tandē sit  
 sub se vilissimē deiecta, contēptibilis, igno-  
 miniosa,

miniosa, ingloria. Sed ne te impediā, quod  
 cœpisti prolequere. R. A. E. M. Anima hinc  
 transiens ad infernum, secum defert simili-  
 tudines, & imagines operum suorum: quæ  
 quia fuerunt contra Deum, contra iustitiā,  
 contra veritatē, arque ideo erant deformia,  
 sordida, falsa, abominata. Cùm igitur hæc  
 opera sua continuò ante oculos suos ha-  
 beat, & perpetuò habeat, ideo erit in conti-  
 nua perpetuâq; mœstitia: & omnis eius re-  
 cordatio, omnis visio, omne suum nolle &  
 suum velle, & quicquid in ipsa est, erit illi  
 summè acerbum, summè amarum, infinitæ  
 causa mœstitiæ & angustiae. D. O. M. Hinc  
 manifestè colligimus, quòd anima humana  
 hinc viuēs cōtra Deū, & malè operās, thesau-  
 rizat sibi iram in die iræ, & aggregat sibi  
 æternā miseriam, angustiam, tristitiā, & cōdit,  
 constituitq; sibi ipsi suam pœnā, suā gehem-  
 nam, suam flammam. R. A. E. M. Optimè col-  
 ligis: verum vt huius mœroris ac mœsti-  
 tudinis possis efficacius magnitudinem  
 agnoscere, duo tibi exempla subiiciā: Pri-  
 mū est, omnis homo quantumlibet malus,  
 adhorret omnem turpitudinem in rebus  
 suis: & quantò res illa sibi fuerit propin-  
 quior, tantò magis odit illic inesse turpitu-  
 dinē. Odit enim turpitudinē suæ domus, suæ  
 coniugis, suæ sobolis, maximè autem sui  
 corporis.

corporis. Ita & anima post hanc vitam suā  
 turpitudinem aspiciens, vehementer asper-  
 nabitur, nec vlla ratione poterit sustinere.  
 Videbit enim tanquā in libro omni-  
 nia sua mala conscripta, quæ contra iusti-  
 tiam gessit & pietatem, & ei sine termino  
 displicebunt. Non tamen idèd, quia Deum  
 offenderit: sed quia de sua natura deformia  
 sunt, & omni odio dignissima. Secūdu exē-  
 plum: Anima sentit corporis dolores, pas-  
 siones, infirmitates, & de his plurimū cō-  
 tristatur: ergo multò amplius in inferno  
 suam ipsius sentiet infirmitatem, suam sce-  
 ditatem, corruptionem, perversitatem, ma-  
 lignitatem, & impietatem: & immenso er-  
 rore atq; perturbatione percussa cassos erū-  
 pet in gemitus, & suas clades querulabitur.  
 D O M. O' omnium infelicissimam animā,  
 quæ propter momētaneū nescio quid gau-  
 dij in tam immensas moestitudines eligit  
 destinari.

*Deus creator, & omnes creatura, opus quoq;  
 ipsum, animam miseram persequetur.*

C A P.

X X I X.

R A E M V N D V S.

**N**ON solūm quidem animam conde-  
 mnatā suæ nequitiae persequetur, sed  
 etiam à creatore, & à creaturis, & ab ipsis  
 sui corporis membris dolores maximos  
 i s sustinebit.

sustinebit. Primò à creatore: Nam ex quo ipsa iurè Deum despexit, & seipsam vt Deum amavit, coluit, & exaltauit, seq; pro Deo ab alijs amari, & honorari voluit. Deinde, quia se inimicam Dei capitalem suam illi gloriã auferendo, constituit. Tertio, quia in suo honore, & voluptate maxime gauisa sit. Quarto, quia innumeris Dei beneficijs ingrata extitit: & ipsis tamẽ vta beneficijs, authorem tantorum munerum cõtempfit. Quintò, quia Deum omniũ benignissimum, dulcissimum, optimum, à sua mente nequiter exclusit: & ipsum deorsum deprimens, se super illũ erexit. Sextò, quòd suam voluntatem statuens, Dei creatoris voluntatem reiecit. Septimò, quòd creatoris sui imaginem nobilissimam, & pulcherrimam, tam foedis, & nequissimis maculis denigrauit. Octauò, quòd infinitam offensam, & ingratitude infinitè contempto Deo incurrere nõ pertimuit. Quia igitur cõtra Deũ tãta mala commisit, idcirco infinita tormẽta promeruit, & totiens hæc ipsa tormẽta cumulauit, & auxit, quotiẽs auxit offensam, atq; iniuriam. Si enim qui criminis læsæ maiestatis reus est capite truncatur, quæ supplicia, quæ tormenta animæ debentur, quæ summã maiestatem, & immensam Dei potentiã contẽpsit, & repulsi?

Meruit

Meruit igitur iram Dei, vindictamq; perpetuam. Deus igitur cum sit omnipotens poterit, & cum sit sapiens sciet, & cum sit iustus velit, animæ contemptrici & inimicæ suæ pœnam pro reatu infligere sempiternam.

D O M. Hinc clarè patet, quòd præter tristitiam perpetuam, quam sibi fecit, suâ amando voluntatè, habet etiâ aliam tristitiar miseriam, per iustitiâ Dei sibi inflictam, quâ promeruit Deum contênendo, & rebellando. Sed dic mihi obsecro, qualè pro contemptu suo Deus pœnâ animæ peccatrici irrogabit? R. A. B. Pœnam inferni, pœnâ ignis perpetui. Quia enim omnium rerum creatorem contèpsit, idè sub omni creatura projicietur in locum infimum, & à cœlo remotissimum, in medio terræ, in loco tenebroso, horrido, profundo, infernali, & acerbissimo. Illuc in suum contemptum omnium rerum corporalium fæces descendunt, in quibus ipsa immergetur, & ab ipsis vilissimis fæcibus pascetur. Et quia iustum est, quòd omnis delectatio per tristitiam contrariam puniatur. Et quia inter omnes creaturas ignis est maximè afflictivus, idè ipsa maligna delectatio corporalibus flammis, quæ semper ardeant, & in æternum non possint nec extingui, nec minui, semper torquetur. Huic igni ardentissimo anima inseparabili unione

bili vnione colligabitur, qui eam lempet  
 adurat, nec consumat aliquando. D O M.  
 Quomodo potest anima, cum sit spiritua-  
 lis naturæ, ab igne corporeo tormentari?  
 quomodo potest agere, id quod corporeū  
 est in animā spiritualē? R A E. Non ne aque  
 baptismatis operantur in anima, agente in-  
 uisibili verbo, dum corpus tingunt, & cor  
 ablunt? Quod si alium liquorem, puta vi-  
 num, aut oleum adhibueris, nihil tale con-  
 tinget. Sicut igitur aqua mediante verbo  
 animā purificat: ita operante Deo ignis ge-  
 hennæ animā cruciat, & contristat. Et meri-  
 to id quidem: nā sicut ipsa, cum sit spiritua-  
 lis naturæ, potuit, & voluit in rebus corpo-  
 ralibus delectari: ita etiam poterit, licet  
 nolit, ab ipsis per iustitiā puniri, atq; affli-  
 gi. D O. Capiō quod tu dicis. R A E. Habes  
 ergo quomodo animam impiā Deus crea-  
 tor persequitur. Audi nūc secundo, quomo-  
 do eam persequuntur & creaturæ. Quia  
 enim amando suam voluntatem, & suam  
 laudem Deū opificem nequiter contēpsit,  
 idē etiam contēpsit omnes creaturas, &  
 se illis inimicam cōstituit, & maximā illis  
 iniuriam intulit, quod eas supra creatorē  
 amauerit, & ipsis in despectum Dei turpi-  
 ter abusa sit. Idcirco armabitur omnis crea-  
 tura ad vlciscendum, & pugnabit pro Deo,  
 orbis

orbis terrarum cōtra animā insensatam. Nulla ergo creatura aliquid recipiet aut solacij, aut auxiliij : sed sicut antè in omnibus est delectata, ita in omnibus sit afflicta, imò etiam maximè à semetipsa. Erit enim sibi amara, molesta, odiosa, quæ priùs tantùm se amauerat, tantùm extulerat. **D O M.** O' omnium miserissimam: cui & creator, & creatura omnis, & ipsa sibi ipsi molestiam inferent, mœstitudinem, & angorem. Sed nunquid & suum corpus ipsa recipiet ad tormentum? **R A B.** Imò verò recipiet, & ad maximum tormētum, & hoc est tertium quod animam persequetur. Nolet enim corpus, in quo se semper nouit arsuram, recipere: sed quia hīc egit contra voluntatē sui conditoris, idèd illic & conditor ager penitus contra voluntatē suæ contemptricis, & restituet ei suum corpus, in quo, & cum quo Deū despexit, & sibi ipsi cōplacuit. Sed quale putas corpus recipiet. Certè omnino tale, quale ipsa maximè nolit. Accipiet ergo corpus caducū, fragile, passibile: sed ut contristeretur magis, idèd erit immortale. Erit quoq; obscurū, obscœnum, tenebrosū, tardum, graue, spissū, horridum, deformissimum. Si summam eorum quæ in hac disputatiōe differui meminisse volueris, facile ex istis duobus Amoribus duas inuenies esse



esse ciuitates, quæ utrique Amori respondē  
deant, & utriq; conueniant amanti. D. O.  
Has quidem ciuitates licet aliquantulum  
viderim, cupio tamen eas mihi apertius o-  
stendi. R. AB. Duo primi Amores, Amor  
scilicet Dei, & Amor sui, cum sint inter se  
plurimum contrarij, duas inter se contrarias  
gētes instituunt: quæ quia capitales ad inui-  
cem sunt inimici, idēd necesse est duas esse  
contrarias ciuitates longissimē à se distan-  
tes, quæ in æternum has gentes abinvicem  
separent, & secludāt. Omnes enim homines  
qui seipso amant, (qui a vniuersis nature sunt)  
in vnam harū claudētur ciuitatum: qui ve-  
rō Deum amant, leuabuntur in alteram. A-  
mantes seipso tanquam Dei hostes remo-  
tissimē à Deo proijciētur: Amatores autem  
Dei cum ipso propinquissimē locabuntur.  
Illi in infimo præcipitati, in inferno iace-  
bunt: isti supra omnes cœlos sublati in altis-  
simis conregnabunt. Illi subter omnē crea-  
turam proiecti delitescunt: isti supra omnē  
creaturā erecti alacres subsiliēt. Illi sicut ha-  
buerunt amorem strictissimū, ita & arctis-  
simum habebunt locum: isti quia habuerūt  
amplissimum Amorem, ita & latissima cœ-  
lorum regna possidebunt. Illi quia habue-  
runt amorem terrestrem, & grauem (nihil  
enim est amore proprio ponderosius) idēd  
ad ima

ad ima terrarum descendunt: isti quia habuerunt amorem Dei, qui levis est, & facilis; ideo ad altissima loca conscendent, ut sint leuia sursum, & ponderosa deorsum. Deo Facile nunc has duas ciuitates intueor, quarum vna sit gaudij, altera mœroris: vna dilectionis, altera odij, & rancoris. Vna vitæ perpetuæ, altera mortis sempiternæ. Vna in qua recipiantur amici, altera in qua præcipitentur inimici. Vna bonorum hominum, altera malorum. Vna palatium regnantium, altera carcer præuaricatorum. Vna in qua superfluit bonum omne: altera in qua redundat omne malum.

*Sicut homo obligatur ad Amorem, ita etiam ad Odium: & de Odij proprietatibus.*

C A P.

X X X.

R A E M V N D V S.

**E**sset quidem nunc merito huius Dialo-  
gi finis, nisi congruum esset, ut sicut de  
Amore, ita & de Odio etiam pauca dica-  
mus: Vno enim posito, alterum clarius elu-  
cescet. Nam sicut voluntas humana Amo-  
rem habet, ita habet & Odium. Amor ta-  
men primum obtinet locum, Odium verò  
secundum. Quòd si volueris huius Odij vir-  
tutes, & proprietates agnoscere, ex amoris  
proprietatibus

proprietarijs eas facile deprehendes. Quarum prima est, Sicut homo obligatur ad amandum Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute studiosè, fortiter, indefinenter: ita homo obligatur de iure naturæ ad odiendum quicquid est contra diuinum honorem, ex toto corde, mente, & virtute. Secunda conditio: Sicut homo tenetur amare omnem creaturam, in quantum Dei factura est, ita nullam potest odisse: sed sicut primò amat, omnium rerum factorem, ita secundò omnes debet amare facturas. Tertia proprietas: Sicut homo tenetur primò amare Deum, ita debet primò odisse quicquid est contra Deum: debet ergo odisse principaliter propriam voluntatem, proprium amorem, honorem, gloriam, laudem, & voluptatem. Quarta conditio: Sicut homo tenetur primò amare Deum, & omnia quæ Dei sunt, ita tenetur abominari propriam voluntatem; & omnia quæ eam propinquius comitantur; auaritiam, inuidiam, iram, accidiam, luxuriam, ex quibus omne malorum germen emergit. Nam sicut ex vno Amore multi Amores; ita ex vno Odio multa odia generantur. Quinta: Sicut ex propria voluntate nascitur Dei contemptus, Dei offensa, Dei grauis iniuria, idè tenetur odisse tota virtute Dei offensam,

offensam, & Dei iniuriam. Sexta: Sicut homo obligatur immediate post Deum amare suam imaginem viuam, ita & debet odif se omne id quod potest hanc imaginem deformare, denigrare, destruere, qualia sunt vitia, peccata, delicta. Ex isto sequitur, quod sicut homo tenetur diligere omnem alium hominem sicut seipsum, ita omne malum alterius & incommodum debet execrari sicut suum. Septima est, quod sicut Amor vnit amantem cum amato, ita Odium diuidit odientem à re quam habet odio. Et sicut omnis vnio, vel coniunctio fit per Amorem, ita per Odium fit omnis separatio, atque diuisio. Octaua: Sicut Amor induit amantem re amata, & in se transformatur: ita Odium expoliat voluntatem à forma rei exosæ, & longius à se proiectat. Nonna: Sicut Amor non potest cogi, nec violentari, nec restringi, sed pergit liberè quocunque pergit, ita & Odium cogi non potest, nec coartari. Decima: Sicut tantum se extendit Amor, quantum & res primò amata, ita etiam tantum se Odium extendit, quantum se extendit res principaliter exosa.

D O M. Notatu dignissimæ hæ sunt

Odij proprietates, & intimis visceribus collocandæ.

k

Duo

*Duo esse prima Odia, sicut duo primi Amores: & de Odiorum fructibus.*

C A P. X X X I.

R A B M V N D V S.

**N**Vnc de duobus Odijs & Odiorum fructibus pauca dicamus. Sicut sunt duo primi Amores, Amor scilicet Dei, & Amor sui: ita duo sunt Odia, prima, Odium Dei, & Odium sui. Et sicut duo isti Amores sunt inter se contrarij, & capitales inimici, ita hæc duo Odia maxime contrariantur. Sed amor Dei, & Odium sui optime conueniunt, & sunt homini in salutem: ita & Amor sui, & Odium Dei inuicem copulantur, & fiunt homini in perditionem. Et idè qui recedit ab Amore sui, necesse est vt pergat in Amorem Dei: & qui recedit ab Amore Dei, pergit periturus in Amorem sui. Similiter qui recedit ab Odio sui, vadit miser in Odium Dei: & qui recedit ab Odio Dei, pergit feliciter ad Odium sui. Sed in isto progressu hanc intellige differentiam, quam etiam in aqua reperies. Aqua per se currit ad frigiditatem, sed violenter inducitur ad calorem. Ita voluntas humana per se vadit ad Amorem sui, & illic sine adminiculo commoratur: sed ad Amorem Dei currere non potest, nec illic persistere, nisi eius adiutorio pertrahatur.

D O M I.

DOMINI. Hoc postremum humilitatem redolet, & instruit ad timorem. Qui enim Dei adiutorio destituitur in suis ipsius Amorem relapsus, ad Dei gratiam nec venire poterit: nec etiam si venerit, permanere. Sed nunc de Odiorum fructibus, quod pollicitus es, exequere. R. AEM V. N. Odio Odiorum fructus, ex amorum fructibus quos supra longo sermone disserui, poteris intueri. Nam sicut Amor Dei est optimus, ordinatus, iustus, sanctus, & sic de cæteris: ita Odium Dei è diuerso est pessimum, inordinatum, iniustum, impium, & sic de alijs conditionibus appositis. Et sicut Odium propriæ voluntatis est bonum, sanctum, meritorium, ita Amor sui malus est, sacrilegus, & perditissimus. Quia igitur ex bono Amore oritur Odium bonum, & ex malo malum: idè congruenter dicimus, illos fructus nasci ex bono Odio, qui nascuntur ex Amore bono: & illos ex malo Odio generari, qui generantur ex Amore peruerso. Certè nunc audisti, quæ te de Amore deque Odio scire oporteat: puto non ingrati me tibi hodie disputationem tenuisse. DOMINICVS. Imò verò gratissimam: nec potest quicquam sanctius, salubrius ve dici, quàm quod te hodie dixisse gratulor. R. AEM. Non minus libenter

k 2      auditu-

auditurus es , nec minus vtiliter , quæ post  
meridiem sumpto prædio loquuturus sum.  
Verùm quia ad cibum nos nunc & fames  
ipsa, & cocus inuitat, paululùm ab studio  
animum reuocemus. D. Q. Licet opti-  
mo me nunc cibo, qui mentem nu-  
trit, saginaueris, nec magnopere  
carnalis me mensa dele-  
ctet: libens tamen te-  
cum ad prandium  
comitabor.

\*

Q V A R T V S  
D I A L O-  
C V S.

*Quomodo debeamus Deum time-  
re, adorare, laudare, honorare.*

*Alia quaedam debita, vltra Amorem, quae  
homo tenetur reddere creatori suo.*

C A P.

X X X I I.

R A E M V N D V S.



**R** E S V M P T I S iã à men-  
sa paululum viribus, di-  
gnissimum duxi tibi nunc  
demonstrare alia quae-  
dam debita, præter debi-  
tum amoris, quæ meritò  
obligatur homo suo reddere creatori. Tu  
quæso diligenter ausculta. D O M. Non  
necesse habes addere calcas equo sponte  
currenti: Tu tantum ne fagiteris rogo.  
R A E M. Cùm igitur homo sit dignissi-  
mum opus maximi creatoris sui, ideo quic-  
quid ab illo in se accepit, quicquid etiam  
potest, totum obligatur restituere, & refunde-  
re in obsequium artificis sui. Opus enim seu  
factura intellectualis, qualis est homo ex  
parte animæ tenetur non solum Amare fa-  
ctorem suum: sed etiam Timere, laudare,  
k 3 honorare,



honorare, glorificare, adorare, supplicare, orare, deprecari, credere, confidere, magnificare, benedicere, & pro acceptis beneficijs gratias agere, gaudere, & exultare. Quid enim debet creatura aliud Amare, quàm dominum creatorem suum? Quam alium debet ipsa factura vel Timere, vel laudare, vel magnificare, vel supplicare, vel adorare, vel deprecari, quàm ipsum optimum, & vnicum factorem suum, à quo accepit imaginem Dei vivam, intelligentem, amantem, memorantem? A quo est homo supra ceteras res nobilius conditus, ferventius amatus, omnibus prepositus ad suam amicitiam vocitatus, & cum illo in æternum regnaturus. D O. Reuera is tantus opifex, tam munificus, tam summe benignus merito est ab homine diligendus, metuendus, honorandus, & pro immensis acceptis beneficijs iugiter collaudandus. R A. Hinc iam pulchre ex his proprietatibus, quas in se homo accepit, potest agnoscere, quas suus conditor in se habeat proprietates, & quid illi iugiter teneatur offerre. Nihil medium inter Deum & hominem, ideo inter eos est proportionalis correspondentia: & ideo ex conditionibus quas in se habet homo, inquantum homo, potest arguere conditiones quas in se retinet Deus. Sequitur ergo, quod sicut homo potest amare, cognoscere, timere,

timere, deprecari: ita Deus est amandus, cognoscendus, timendus, deprecandus. Homo potest laudare, benedicere, admirari, & gratias pro beneficijs agere: ergo Deus est laudandus, benedicendus, admirandus, & regratiandus. Homo potest credere, sperare, confidere: ergo Deo est credendum, in ipso sperandum, & confidendum. Homo tempor quærit veritatem, diligit bonitatem, amplectitur fidelitatem: ergo Deus est verax, & bonus, & fidelis. Homo potest in immensum concupiscere: idè Deus potest in infinitum concupita tribuere. Homo potest benefacere, & beneficia multa mereri: ergo Deus potest ipsum remunerare, & beneficia copiosa largiri. Homo potest peccare, potest cadere, potest reus existere: ergo Deus potest peccantem punire, lapsum erigere, reū iustè torquere. Homo potest post reatum veniam petere, idè Deus potest vt misericors veniam donare. D. O. M. Verba tua lucent & ardent. Lucent, vt Deum videam: ardent, vt Deum diligam.

Atque ex hoc tuo principio

magna conijcio

te dictu

rum.

k

4

Vnum

*Vnumquodq; debitum habet per se propriam rationē specialem, quare debeat Deo dari.*

C A P.

X X X I I I.

R A E M V N D V S.

**L**icet ratione obligationis Amoris homo teneatur etiā Deum Timere, honorare, laudare, &c. tamen vnumquodq; istorum debetur Deo propria & speciali ratione. Alia est enim ratio quare debet Amari, alia quare Timeri, & alia quare Honorari. Ideò enim Deus debet principaliter Amari, quia ipse est summè & singulariter bonus, dulcis, suavis, munificus, liberalis, pius, atq; præstabilis. Debet etiā in infinitū Amari, quia in infinitū bonus est, & solus, & semper bonus. Secundò, Deus debet Timeri, quia Deus est dominus omnipotens, magnus, fortis, terribilis, qui potestatem habet corpus & animā perdere in gehennā ignis. Et quia ipse est infinitus, & primus, & solus, & verus dominus, ideò est in infinitum, & principaliter, & solus, & veraciter metuendus. Tertio, Deus est Honorandus, eò quod est summum omniū rerum principiū. Et quia Deus est primum, & immensum, & solum, & verū principiū, ideò est primò, & solus, & vero corde honorandus. Quarto, Deus est Laudandus, & Glorificandus, quia est omnium rerum conditor admirabilis.

Et quia

Et quia ipse summus est, & optimus, & sapientissimus, & primus, & solus artifex, ideo summè, & sapienter, & singulariter laudandus est, & glorificandus, & admirandus. Quintò, Deus etiam Credendus est, quia verax est. Et quia ipse est summa, & infinita, & prima veritas, ideo summa, & maxima ei debet credulitas adhiberi. Sextò, in Deo quoque Sperandum est, quia potest, & novit, & cupit iuuare, liberare, redimere, consolari, saluare. Et quia solus, & summè, & semper omnia potest, ideo summè, & singulariter, & semper in ipso sperandum est, & confidendum. Possem per singula discurre, sed puto competenter hæc pauca sufficere. **D O M.** Saluberrima sunt verba quæ loqueris, & quæ maximè cõdecet hominem, qui summi conditoris plasma nobilissimū est, agnoscere. Huic enim soli competit dominum Deum suum amare, timere, honorare, reuereri, à quo & ipse prius amatus, sublimatus, ditatus, & mille beneficijs nobilitatus est.

*De duplici Timore, & eorum conditionibus & fructibus.*

C A P. X X X I I I I.

R A E M V N D V S.

**N**unc superest vt in speciali de Timore, deq; Honore aliqua disseramus. Et  
 k s primò

primò de Timore. Cū enim Amor sit principale debitum ad quod obligatur homo, idè ad ipsum sequuntur omnia alia debita, nec quicquam potest donum vel debitū appellari, nisi ratione Amoris. Et idè si nō amaueris Deum, dignè timere, nec honorare poteris. Nam sine Amore Timor acerbus est, & pœnam habet, & honor adulationem redolet, non venerationem. Nota ergo differentiam Amoris & Timoris. Amor enim donū liberale est, & cū summa exultatione Deo tribuitur: sed Timor si solus fuerit, cū fatigatione Deo donatur, & sine fructu. Si verò iungatur Amori, tunc spontaneus fit, & à seruitute manumissus, & omnem mœrorem conuertit in Gaudium. Alia differentia Timoris & Amoris est. Nā Amor Dei multiplicatur in infinitum, sed Timor Dei non se extendit, nisi ad vnum solum. Qui enim vnum Deum creatorem diligit, multa per illum & propter illum diligit: sed qui Deū solū meruit, nihil præter illum vel cum illo metuit. Et sic Amor se extendit ad omnia ad quæ res amata: sed Timor non ita. Optima tamen est mistura Amoris cum Timore: quia Timor vnit & complicat Amorem fortius cum amantissimo conditore. Ideoq; Timor & Amor sunt quasi duæ catenæ quæ colligant ipsam hominis

minis voluntatem cum Deo, & sese mutuo  
 fortificant. D O M. Intus sapio quod dicitis.  
 Ex quo enim creatura rationalis facta est  
 de nihilo, & Deus conditor infinitæ est ma-  
 jestatis, ideò debet creatura cum timore  
 diligere, & amando timere, vt fiat sermo  
 qui scriptus est; Exultate domino cum tre-  
 more. R. A. B. M. Optimè sapis: at nunc Ti-  
 morem ipsum diuidamus. Sicut est Amor  
 Dei & Amor sui: ita est & Timor qui ori-  
 tur ex amore Dei, & Timor qui nascitur  
 de amore sui. Horum Timorum ista est dif-  
 ferentia. Nā primus Timor sanctus est, in-  
 duplex, bonus, & secundum naturam ordina-  
 tus, habetq; omnes eōditiones amoris Dei. Timoris  
 Sed Timor secundus malus est, impius, iniu-  
 stus, inordinatus, qualis est suus amor, de  
 quo nascitur. Secunda differentia est, quia  
 Timor Dei non multiplicatur, sed semper  
 vnus & solus est. Qui enim Deum timet;  
 nihil aliud timet, sed Timor sui multipli-  
 catur in infinitum, & multo amplius, quàm  
 suus amor: quia ex vno amore malo, nasci-  
 tur infiniti timores. At quoniā Timor pœ-  
 nam habet, ideò quilibet horū pœnā con-  
 fert, tristitiā, & miseriam. D O. Hinc planè  
 intelligo, quāta sit Amoris proprii virulen-  
 tia nequitia, quātūq; noceat se habentē, qui  
 est timores pessimos de se producit. R. A. B. M.

Rectè

Rectè, tu intelligis. Nam qui primò amat seipsum, timet se perdere, timet destitui & corrumpi: ideò omnia illa timet, quæ se perdere possunt, & corrumpere. Ideòq; timet mortem, pestè, ægrotationem. Timet terrã, aquam, aërem, ignem. Timet famè, sitim, & cuncta quæ illi possunt præripere vitam. Præterea quia amat suũ honorè, suã laudè, suã voluptatè: ideò timet perdere famam, gloriã, excellentiã. Timet ignominia, diffamiam, probra, vituperia. Timet quoq; tormenta, frigora, calores, paupertates, penurias, angustias. Et quia omnia diligit propter se, ideò timet perdere amicos, filios, uxorem, domos, agros, pecunias, mancipia, animalia. **D O M I N.** Nunquàm tanta timeret, nisi vnum aliquid nimis nequiter amaret, quod caducum est, & fragile, & miserum: quodq; labi potest, destitui, & auferri. **R. A E M.** Hinc igitur tertiã nũc considera horũ Timorũ differentiã, Nã Timor de amore Dei solidus est, vegetus, robustus, quia suus Amor hoc diligit, quod minui non potest, neq; corrumpi, sed timor de amore sui fragilis est, caducus, & instabilis: quia res omnes quas suus amor amplectitur, concidere possunt, atq; perire. Quarta differètia: quia Timor Dei fecit eũ, q se confidet, (quia solũ Deũ metuit) & sui ipsius, &

● **omnium**

omniū sub se rerū dominū:& omnia illum  
 timent,& subiecta sunt pedibus eius cœlū,  
 terra, maria, & quæ in eis sunt omnia. Sed  
 Timor de amore sui reddit eum qui se pos-  
 sidet omniū rerū seruum,miserabilem,trep-  
 pidū,fluctuagū,murabundū.Hinc sequitur  
 quinta differentia,quòd Timor bonus est se-  
 cundū naturā hominis inquantū homo est,  
 & est secundū Deū, & secundū ordinē vni-  
 uersū.Sed Timor malus est cōtra Deum, &  
 cōtra naturā hominis,qui est à Deo omniū  
 rerum dominus constitutus:& cōtra natu-  
 ram vniuersi, quod debet seruire homini,  
 non dominari. D O M. Cuncta quæ dicis ve-  
 rissima sunt,& vehementer hominem per-  
 mouent fugere timorem hunc pessimū : &  
 solum Deum timendo diligere, & diligen-  
 do timere. R A E M. Ex his differentijs vtri-  
 usque timoris satis amborum proprietates  
 possunt intelligi, nec opus est apertius ex-  
 plicare.Porrò si volueris horū timorū fru-  
 ctus agnoscere, vide suprā qui sunt fructus  
 Amoris Dei,& qui fructus Amoris proprij:  
 & sicut illic agnoueris,ita & istos agnosce.  
 Hoc etiā scito,quòd sicut his duobus Amo-  
 ribus duo opponuntur Odia, sicut antè di-  
 ximus:ita istis duobus Timoribus,duo ob-  
 jiciuntur Contemptus : & quicquid illie de  
 Odijs diximus,& hoc & de Contemptibus  
 debere



debere dici intellige. Ad alia festinatis  
superfluis inhaerere non debeo. *D O M.* Te  
supporto libenter : nam satis recenter me-  
mini, quid de duobus Odijs supra differue-  
ris, perge continuus.

*De honore: & quòd omnia Deus fecit pro-  
pter suum honorem, & homi-  
nis utilitatem.*

C A P. X X X V.

R A E M V N D V S.

**S**icut homo debet domino Deo Timorē,  
Sita & honorē. Sed antequàm de obliga-  
tione Honoris aliquid loquamur, primò de  
ipso Dei Honore pauca dicenda sunt: vt dū  
cognoueris Honoris, & reuentiæ proprie-  
tates, agnoscas & Honoris obligatiōes. Hu-  
ius igitur narrationis hoc sit initiū. Omne  
quod dominus Deus operatus est in rerum  
creatione, totū propter suum Honorem id  
operatus est, vel ppter hominis Utilitatē.  
Deus enim cum sit omnium bonorū, & pul-  
chrorum ditissimus possessor, & copiosissi-  
mè plenus seipso, ideo intra se crescere non  
potest. Non ergo accipit à rebus aliquā Uti-  
litatem, sed solum extrinsecum Honorem.  
Homo verò tū sit creatura de nihilo facta,  
semper.

semper indigens, & de se ad nihilum vergens, idcirco crescere potest interius in bonitate, in veritate, in omni perfectione: & idè ei debetur Vtilitas seu cōmodum: sed honor nequaquàm. Deus igitur qui omnia operatur principaliter propter seipsum, & quia intus crescere non potest, idè omnia operatur extra se propter suum honorem. Et cum sit summè bonus, idè omnia operatur propter creaturaru Vtilitatē. Verùm quia inter creaturas quatuor graduum homo est magis ab illo dilectus, & nobilitatus, estq; illi imagine & similitudine longè propinquior: idcirco omnia operatur Deus ad suum extrinsecus Honorem; & hominis intrinsecus Vtilitatem. Hoc scire te conuenit, quòd quantò Deus est in infinitum omni creatura sublimior, ita in infinitum distant honor Dei, & Vtilitas creaturæ.

D. O. M. I. Hinc palàm intelligo, quòd licet Deus omnia operetur propter suū Honorē, & creaturæ Commoditatem, multò tamen principalius suam intēdit Honorem, quàm Vtilitatem creaturæ. Verùm quia Vtilitas semper colligata est cū Honore, idè quantò amplius suam respicit Honorem, tantò & amplius creaturæ considerat Vtilitatem. Et sicut nihil potest facere Deus cōtra suū Honorē, ita nec cōtra creaturæ commoditatem.

ditatem. Hanc autem Commoditatem maxime participat homo propter quem omnes creaturarum Vtilitates à bono Deo conditæ sunt , & institutæ. R A E M. Sanè intelligis. At nunc ego non indignum iudico, ponere aliquas considerationes , quæ oriuntur ex hoc, quòd Deus omnia operatur ad suum Honorem. Hæ considerationes pulchræ sunt, & notatu dignissimæ. Prima est, nam quoniam Deus omnia ad suum operatur Honorem, & cum ipse sit summa potestas , sapientia , bonitas : hinc sequitur, quòd omnia operatur secundum Honorè suæ summæ potentis, bonitatis, & sapiètiæ. Quicumque igitur non aspicit ex rerù creatione Dei Honorem, & gloriã, vero lumine cæcatus est, nec potest quicquam de Dei operibus intelligere. Secunda consideratio oritur ex prima: Nam ex quo Deus omnia operatur ad Honorem suæ bonitatis, ideò semper vtilitas includitur in Honore, & per consequens omnia operatur ad hominis Vtilitatem. Tertia cõsideratio: nam quoniã Deus omnia operatur ad Honorè suæ potestatis, ideò opera sua in summa virtute, & summa potentia operatus est. Et quia omnia operatur ad Honorem suæ sapientis, ideò opera sua summè sapienter ordinatissimè , proportionabilissimè , & congruen-

congruentissimè operatus est. Quia verò ad Honorem suæ bonitatis operatur, idè omnia optimè, liberalissimè, beneuolèntissimè, & vtilissimè operatus est. D O. Hinc sequitur, quòd in diuinis operibus nihil potest esse improporcionatum, incongruum, inutile, infirmum, superfluum, diminutum, inordinatum. R A E M. Rectè tu quidem. Quarta cõsideratio est, quòd quia dominus Deus operatur omnia ad suum Honorè & gloriam, hinc sequitur, quòd quātò Honor maior, & gloriosior fuerit, tātò magis Deo competit: & quātò opera eius sunt magis ardua, sublimia, mirabilia, subtilia, difficilia, tantò magis pertinent ad Honorem suæ potentiaë, sapientiaë, & prouidentiaë: Et quātò fuerint magis vtilia, communia, suauia, dulcia, iucunda, doctrinalia, tantò pertinet magis ad Dei dulcissimam bonitatem. Idcirco competit Deo, vt suus Honor seruetur, tam potenter operari omnia, vt non possit potentius cogitari: tam sapienter, tamq; vtiliter, vt non possit æstimari sapientius quicquàm, vel vtilius. D O M. Ex isto liquidè patet, quòd omnia Dei creatoris opera sunt tam alta, nobilia, incõprehensibilia, subtilia, & perfecta, vt nequeat æstimari meliora. Et licet vnum opus sit altero perfectius, vnumquodque tamen est in suo

I. genere

genere pfectissimū, summè sublime, & im-  
 penetrabile. Sed sequere quò cœpisti. R. A. E.  
 Quinta cōsideratio est. Ex quò enim Deus  
 omnia ad suum maximum operatur Hono-  
 rē, inde sequitur, quòd quicquid magis per-  
 tinet ad Dei Honorem, illud sine periculo  
 homo asserere potest, & confiteri. Et idèd  
 magis oportet asserere mundū à Deo pro-  
 ductum esse de nihilo, quàm ex aliquo : &  
 de nouo inchoasse, quàm ab æterno fuisse.  
 Hæc enim magis redolent Dei potestatem,  
 & bonitatem. Sexta, quòd ex quò Deus om-  
 nia creat ad suum Honorem, ita etiam om-  
 nia complet, & consummat : & idèd omnia  
 Dei opera finientur, & terminabuntur in  
 summo Honore suæ maiestatis, & boni-  
 tatis. Verum quia non esset summus Ho-  
 nor eius, nisi etiam duraret in æternum : &  
 idèd vt honor eius perpetuò perseueret, ne-  
 cesse est, vt eius opera permaneant in æter-  
 num. Septima cōsideratio est, Nam ex quo  
 Dei Honor est perpetuus, idèd requirit  
 perpetuum honorantem. Et quia sola crea-  
 tura rationalis nouit, & potest Deū hono-  
 rare, & laudare, idèd oportet eā perpetuò  
 permanere, vt Deum in æternum glorifi-  
 cet, & honoret. D. O. Præclara sunt omnia, &  
 exultatione plena, quæ de Dei Honore  
 prosequeris. Verū hoc postremū est exultā-  
 tius

sius audiendum, vbi se homo ad hoc con-  
 ditum, & mansurum agnoscit, vt suum ma-  
 ximum, & optimum creatorē magnificet,  
 laudet; honoret in æternū. R. A. E. Octaua  
 cōditio, quòd quia Deus omnia creauit ad  
 suū Honorē, & hominis Vtilitatē, ideò De⁹  
 vult crescere exterius, & vult vt homo cre-  
 scat interius. Tunc enim Deus extra se cre-  
 scit, quando sua notitia, sua gloria, sua fa-  
 maxie homine crescit. Et quātò illa notitia  
 per plures homines multiplicatur, tantò  
 magis Deus multiplicatur. Et quasi totiens  
 Deus de nouo nascitur, quotiēs sua notitia  
 in homine generatur. At quādo Deus exte-  
 rius crescit in notitia hominū, tunc cer-  
 tē homines interius de Deo crescūt, est que  
 vnū idēq; incrementū quo De⁹ crescit ex-  
 terius, & homines interius. Hoc autē noti-  
 tiæ incrementū nascitur in homine, per co-  
 gnitionē creaturarū: quāq; ignoraauerit, ne-  
 cesse est vt nec De⁹ in illo, nec ipse crescat  
 in Deo. D. O. Sed quæso te, per quē modum  
 Deus crescit in homine, & homo in Deo?  
 R. A. E. Rationalis homo intellectū habet,  
 & voluntatē, & ideò potest Deus crescere  
 in hominis intellectu, & in hoīs voluntate.  
 Tūc Deus crescit in hoīs intellectu, quādo  
 eius notitia, & sapiētia, & prouidētia, & indu-  
 striā in hoīe crescit. Tūc etō De⁹ crescit in  
 24 21112

voluntate, quando eius amor, timor, spes,  
 cōfidentia, laus, & gloria in homine crescit.  
 Et quando sic Deus crescit in homine, tunc  
 etiam homo crescit in Deo: & quot modis  
 Deus crescit exterius in homine, tot mo-  
 dis homo interius crescit in Deo. **D O M.**  
 Reuera magna vnitas, magna propinqui-  
 tas, magna inter Deū, & hominem colliga-  
 tio, magna nihilominus Dei ad hominem  
 pia dignatio, vt ipse velit exterius crescere  
 in homine, & velit ab homine amari, lau-  
 dari, honorari, vt tali amore, laude, atq; ho-  
 nore homo interius cresceret, & sese perficeret. **R A E.** Nona, & vltima cōsideratio est,  
 quōd ex quo Deus vult per sua opera ho-  
 norari, ideo omnia opera quę ipse facit, vel  
 omnia bona opera, quę fiunt ab omni crea-  
 tura, debent referri ad Honorē Dei. Siue er-  
 go Deus per se operetur, siue per creaturā  
 soli Deo Honor, & gloria. **D O M.** Iustē id  
 quidem. Verūm quia opera hominis bona,  
 quę ex bona voluntate procedūt, cū sint  
 meritoria, nūquid pręmio carebūt? Non ne  
 ipsis etiam laus debetur, Honor, & gloria?  
**R A E M.** Pręmio quidem non carebūt, sed  
 vt dixi, soli Deo Honor, & gloria. Nā Ho-  
 nor & gloria quę extrinseca sunt, illi tribuū-  
 tur: & quia Deus intra se omniū bonorum  
 plenissimus possessor est, ideo sibi soli ex-  
 trinsecus

intrinsicus Honor ascribendus est. Sed quia homo ut creatura, crescere habet, & perfici interius, ideo interna illi utilitas tribuenda est pro bonis suis operibus, non gloria, aut magnificentia. Quando igitur Deus per se immediate operatur sine creatura, tunc talis operatio sola extrinsecam laudem meretur. Sed quando Deus operatur per creaturam rationalem, tunc debentur duo praemia: vnum exterius, Deo scilicet Honor: & vnum interius, homini scilicet Utilitas. D O. Ex isto manifeste colligitur, quod homo qui contempto Deo propria quaerit gloriam, laudem, & honorem, duo maxima mala committit. Facit enim Deo summam iniuriam, & sibi ipsi pessimum detrimentum. Primum facit Deo iniuriam, quia Honor, qui Deo debetur, est praestantior, dignior, & melior, quam totum vniuersum: ideo qui furatur Deo suum Honorem, plus illi eripit, quam si raperet totum mundum. Et ista grauis iniuria non potest per omnes creaturas reparari. Secundum facit sibi ipsi maximum detrimentum, quia homo cum sit creatura fragilis, egena, & vacua, egeatque intrinsicus bonitate, & perfectione compleri: Igitur si quaerat Honorem, & gloriam exterius, tunc intra se vanitate repletur, & penitus vacua derelinquitur omni bonitate, & veritate. Et ita in tali in-



nisi in homine nulla est soliditas ; nulla firmitas, nulla bonitas, nulla demum perfectio. Nihil igitur sibi profuit dum forinsecus creuit, imò obfuit vehementer, quia quâto magis exteriori gloria est dilatatus, tantò est interiori paupertate compressus: Verùm tu ulterius proficiscere.

*Deus sicut propter suum Honorem, ita & propter suum Nomen omnia operatur.*

C A P.

X X X V I.

R. A. E. M. V. N. D. V. S.

**Q**UAM sit impium, & peruersum, hominem ambire suam gloriam, & famam, statim dicemus in subditis. Nunc verò pauca de Dei Nomine, sicut antè de Honore, disseramus. Quicquid potest de nouo acquiri, vel est Res, vel Nomè rei. Sed quia Deus est maximus, cum ens sit infinitum, nõ potest sibi nouam rem acquirere, quia plenus est omni bono: ergo quicquid de nouo recipit, sola Fama, & solũ Nomè est. Tunc igitur Deus extra se de nouo crescit, & maior quodammodò efficitur, quando sua Fama, & suum Nomen per corda hominum dilatatur. Nomen autem Deus acquirit ex operibus quæ forinsecus vidètur. Quæ quidem opera quia potenter, & sapienter, & dulciter facta sunt, idè à cognoscentibus ea

bus ea Deus acquirit nomen, quod omnipotens, & sapiens, & clemens appellatur. Acquirendo igitur nouum Nomen, acquirit etiam nouam Famam, nouum honorē, nouam gloriā. Et sic Deus qui in sua essentia crescere non potest, crescit in Nomine, in laude, in honore: & hoc in hominū cordibus, qui Dei opera comprehendunt. Ex quibus clarissimē vides, quod Deus solus Nomen habere meretur gloriosum, honorificum, famosum, formidatum, magnificū, & per omnia secula benedictum. **D O M.** Hinc veraciter datur intelligi, Deum omnia operari propter suum Nomen: vt illud videlicet impleatur omni vero Honore, vera laude, fama, gloria, & magnificentia. Quando igitur omnia Deus operatur propter suum Nomen, omnia etiam operatur propter suum Honorem. **R A E M V N.** Meritō id sequitur: quia vnum, & idem est, operari propter suum Nomen, & propter suum Honorem. Nolo tamē te ignorare, quod sicut operatur omnia propter suum Nomen Deus, ita etiam operatur omnia propter hominis Vtilitatē. Et quāto Nomen Dei nobilius est, & præstantius, quā omnes creaturæ, tantō Nomen Dei plus valet homini, & est illi fructuosius, quā omnes creaturæ. Ideō

enim creaturæ institutæ sunt ; vt Dei Nomen homini innotescat : quod dum fuerit in corde hominis receptū, generat in eo omnem Vtilitatē. Quæ Vtilitas tunc maximè perficitur, cū homo cœperit amare, timere, honorare, reuereri, & magnificare Deū suum. Vt igitur Nomen Dei verā operetur hominis Vtilitatē, necesse est, vt De<sup>9</sup> operetur opera amoris, opera timoris, opera fidelitatis, confidētīæ, honoris, laudis, & glorię. Operatur igitur Deus opera omnipotētīæ, & vocitatur omnipotens. Operatur opera magni timoris, & reuerētīæ, & ab omnibus pertimescitur. Operatur opera maiestatis, & gloriæ, & Dominus appellatur. Operatur opera summæ iustitiæ, & vt iustus iudex formidatus habetur. Operatur opera summæ dulcedinis, & bonitatis, & vt dulcissimus, & optimus adamatur. Operatur opera maximæ sapiētīæ, & vt sic sapiētissimus nūcupatur. Et vt summatim omnia cōcludā, idcirco omnia quæ De<sup>9</sup> operatur ad hunc finem referuntur, vt nominetur omnipotens, sapiēs, iustus, benignus, bonus, fidelis, pius, sanctus, amicus, adiutor, saluator, protector : vt hoc modo generetur in hominibus vera notitia, & fama Dei : & per consequēs vera vtilitas, vera perfectio, & perfectā omnium bonorum consummatio.

tio. D O. Ex hoc ipso quod loqueris, multū  
 nos imbuis in cognitionem Nominis Dei,  
 quod ex multis, operibus recollectum vnū  
 & maximum efficitur, gloriosum, laudabi-  
 le, magnificū, & per omnium corda magni-  
 ficandum. Licet enim ab æterno Deus sit  
 omnipotens, sapiēs, iustus, & bonus: nō ta-  
 men hoc esset manifestum nobis: nisi eas  
 res fuisset operatus exterius, quibus tale  
 Nomen, & talem Famam in nostris cordi-  
 bus condidisset. Habitaculū igitur nomi-  
 nis Dei corda sunt hominū. Et quantò Dei  
 notitia ex operibus per corda hominū mul-  
 tiplicatur, tantò, & multiplicatur Nomen  
 Dei. R A E M. Bene, atq; optimè Dei No-  
 men intelligis. Vnū tamen scire te conue-  
 nit, quòd diuersimodè, & per multos gra-  
 dus Dei Nomē in homine generatur: ope-  
 ra enim Dei quadruplici gradu distinguū-  
 tur, vt suprā patuit in scala quadruplicis  
 creaturæ. Cognoscit enim homo Nomen  
 Dei per opera quæ habēt Esse tantū, sed  
 magis per ea quæ habent Esse, & Viuere,  
 multo tamen amplius per ea, quæ habent  
 Esse, Viuere, & Sentire, & intelligere. No-  
 men ergo Dei maximè innotescit homini  
 per ipsummet hominem. Et hæc est vlti-  
 ma, maxima, firmissima, & certissima Dei  
 Nominis cognitio. Nullum enim est opus

Dei magis propinquum homini , quàm ipse sibi. Igitur dum homo cognoscit seipsum, in quantum Dei opus est, tunc vehementer Dei Nomen agnoscit , & extollit, magnificat, & honorat. Verùm quia diuersimodè Deus circa hominè operatur , ideò ab homine multipliciter nuncupatur. Aliquando homo Deū Pium vocitat, & Misericordem, aliquando Iustum , & Veracem; aliquando Fidum, Propitium , Protectore; iuxta id quod sentit circa se Deū operari.

D O M. Multis igitur modis potest Dei Nomen homo magnificare, extollere, honorare, & ex consequenti ipsum Deum, qui tam magnifica in omni creatura , & præcipuè in homine, diuersimodè operatur. Nunc superesse arbitror, vt de obligatione honoris disserere incipiamus.

*De obligatione hominis erga Honorem & Laudem & Nomen Dei.*

C A P. X X X V I I.

R A E M V N D V S.

**S**equitur enim profectò , quòd quia Deus omnia operatur propter suum Honorem & gloriam, idcirco homo qui nouit & potest Deum honorare: meritò præ cæteris creaturis id facere tenetur. Tenetur enim & obligatur multipliciter. Primò , ex quo solus potest meritoriè operari, ideò astringitur

stringitur omnia sua opera operari ad Honorem, & gloriam, & nomen Dei; Secundò obligatur Velle, & operam dare, vt Dei Nomen fiat, crescat, & continuè multiplicetur. Tertio obligatur, non solum conari, vt fiat, & perficiatur Honor Dei: sed etiam conari, vt fiat optimo, & perfectissimo modo, quo id ipse operari, & velle potest. Quarto obligatur, non solum vt ab ipso, sed ab omnibus rebus, præcipuè hominibus. Honor & gloria Dei maximè crescat, & compleatur. **D O M.** Certè nisi homo id voluerit, & pro viribus effecerit, non agit vt creatura Dei, nec vt sensatus homo: sed contra ordinationē, & mentē Dei, tanquā perfidus, & amēs, & inimicus. **R A E.** Quintò obligatur ponere seipsum, & dare vitā, corpus, & animā, & quicquid habet, scit, & potest, ad laudē, & Honorē Dei. Verum quia ad Honorem Dei sequitur Vtilitas hominis, idè quoties homo quærit Dei Honorem, suam tunc operatur Vtilitatem. Quando ergo homo pro Dei Honore ponit vitam suam, tunc facit sibi ipsi commoditatem maximam; summum lucrum; summum compendium. **D O M.** Nihil igitur perdit, qui pro Dei Honore se suaq; tribuit: quia omnia illi in centuplū restituit Deus. **R A E M.** Ita est planè. Sextò obligatur homo

172 D I A L O G U S I I I I I  
homo credere verbis Dei, & honorare quic  
quid loquitur, aut pollicetur, aut iubet, aut  
vetat, aut comminatur. Septimò obligatur  
de Dei operibus omnibus semper in boni-  
tate sentire, & omnia in optimam partem  
interpretari. Octauò obligatur corde & ore  
bona de Deo dicere, & magnificè omnia ex  
tollere, & lingua palā prædicare quæ suum  
respiciūt Honorem, suum Nomen, suā glo-  
riam, suam famam. Et quantò magis ad Dei  
pertinent Honorem, tantò debent amplius  
prædicari. D O M. Verissima sunt, & salu-  
berrima, & necessaria cuncta quæ loqueris.  
Vtinam hæc in cordibus hominum conua-  
lescant, vt Deum rerum omnium condito-  
rem corde, ore, & opere semper honorifi-  
cent, & exaltent. R A E M. Vnum semper  
è duobus necesse est, vt homo faciat. Aut  
enim suis operibus Deum vel honorat, vel  
vituperanter contemnit. Ad hoc enim Deus  
optimus hominem condidit, vt suis operi-  
bus se honoraret, & extolleret: quæ si ma-  
la, & reprobata fuerint, Deum maximè in-  
honorant, vituperant, blasphemant. Et  
quia ex amore honor, timor, laus, spes, con-  
fidentia, obedientia, & omne bonorum ger-  
men erumpit: sequitur, quòd qui Deum non  
amat, nec etiam honorat, nec timet, nec lau-  
dat, nec illi fidit, nec obedit. Talis igitur  
homo

Homo corde & opere Deum despicit, Deum inhonorat, Deo rebellat. D O M. Ex isto licet intueri, quòd quia honor Dei, & Dei contemptus maxime opponuntur, ideò sicut nullum maius bonum potest facere homo, quàm Deum veraciter honorare, ita nullum grauius malum, quàm Deum nequiter in honorando contemnere. R A E M. Verum id quidem, Nam qui Deum inhonorat, & Deo, & sibi ipsi, & omni creaturæ maximam iniuriam & contumeliã facit. Contemnit reuera omnes creaturas, id est, non eas honorat, quia Dei sunt, qui rerum despiciunt creatorem. Et sic in Dei contemptu includuntur infinitæ iniuriæ, infinitæ superbiæ, infinitæ nequitie. Sicut igitur ex vno Honore Dei multiplicantur Honores infiniti, ita ex vno contemptu Dei infiniti contemptus generantur. D O M. Væ igitur superbissimo illi, qui Deum contemnens præsumpserit inhonorare.

*Honor proprius, Dei honori contrarius  
est, & capitalis inimicus.*

C A P.

X X X V I I I.

R A E M. V N D V S.

**E**X his quæ nunc diximus, aliquantulum lucet, quàm sit verè peruersum, Deum inhonorare atq; contemnere. Graue igitur



igitur peccatum est, quando homo suis operibus Deum in honorat: sed omnium grauisimum, quando per sua opera se vult ab alijs honorari, laudari, & extolli, propriam querens famam & gloriam. Nam hoc modo studet, laborat & operatur e directo contra Deum, & contra suam gloriam, & honorem. Et talis operarius subdolos & peruersus, eò quòd agit contra intentionem & ordinationem Dei, efficitur manifestus, & capitalis inimicus illius, suum honorem, & famam, & gloriã illi violenter eripiens, & sibi ipsi fallaciter ascribens. Qui enim suam, non Dei gloriã querit, seipsum Deum constituit, de se idolum facit, quòd vult ab alijs honorari, & prædicari, & ita per suam arrogantem impiamq; superbiam bellum, iram, & discordiam grauem in suum suscitatur creatorem. D O. O bellum inerte, funestum, & inglorium, de quo nullam ipse victoriam reportabit: sed stragem, confusionem, ignominiam. R A E. Nihil verius. Sed vt apertius agnoscas, quàm inexpiabile malum sit, hominem suum querere honorem, audi paucis quæ dico. D O. Audiò. R A E. Homo certè dum omnia agit propter suam famam & gloriam, occupat cor suum principaliter circa proprium honorem, quem cogitat, quem querit, quem semper desiderat:

desiderat. Et ita seipsum in suo corde Deum statuens; sese honorat, se laudat, se diligit, se amplexatur. Qui igitur merito deberet cor suum occupare circa Honorem Dei, & Deum in suo corde recipere: è contrario cor suum occupat ad laudem propriam, & illic seipsum collocat, & vt Deum adorat. **D O.** O' iniuriam maximam. **R A E M.** Est & alia infuria maior. Non enim sufficit ei occupare cor suum circa proprium honorem, sed vult quod corda aliorum hominum, qui vasa sunt Honoris Dei, occupentur & impleantur de suo honore, de sua fama & gloria. Cupit enim hic talis superbissimus, vt omnes homines contempto Deo suum honorem, suam existimationem, suam laudem amet, prædicent, magnificent. Vult enim semper crescere, & multiplicari, & imaginem gloriæ, & sapientiæ, & pulchritudinis suæ (licet sit corruptibilis & fictilis) imprimi, & dilatari per corda hominum, vt semper de illo cogitent, illum ament, illum loquantur, & prædicent. Vult igitur totum mundum, quantum ad se attinet, circa suum honorem continuè occupari. Itaque vult Deum expellere de regno suo, de domo & habitaculo suo. **D O.** Hinc merito efficitur homo Dei hostis, Dei maximus inimicus. **R A E M.** Præter hæc mala, sunt & alia non minus execranda

execranda. Primū est, Qui quærit proprium honorem, totum mundum cupit reducere ad seipsum: & sic peruertit ordinem vniuersi, quia creaturas intorquet ad alium finem, quā eas ordinauerat Deus. Vult enim ipse, vt Deus, à creaturis honorem recipere, & se ab omnibus venerari. Et sic homo huiusmodi est totus peruersus in semetipso, Deum, omniaq; conturbans. Secundum malum: Quia homo qui quærit proprium honorem, facit sibi ipsi maximum damnum, & detrimentum, & incommodum. Sicut enim dum honoratur Deus, tunc crescit, tunc proficit homo: ita dum honorem sibi attribuit, in summa egestate remaneat. necesse est. Tertium: Non qui suum quærit honorem, destruit, quantum in se est, Deum factorem suum, & ex consequenti elongat se in infinitum à Deo: tantumq; distat à Deo, quantum distat sua intentio ab intentione Dei. Et quia totum bonum hominis Deus est, ided quantum magis longinquat à Deo, tantum magis recedit à bono suo. Quartum: Dum homo elongatur in infinitum à bono suo, necesse est vt propinquet maximo malo suo, cadatq; in tam profundū malum, quantum Deus est altum bonū. Cadit ergo in immane præcipitium omnium calamitatum, & in abyssum malorum omnium.

nium. Quintum: Homo querendo suum honorem, facit Deo infinitam iniuriam & offensam, ideo promeretur poenā perpetuam & infinitā. Sextum malum: Homo qui querit suum honorem, excecet semetipsum: Honor enim impius tenebræ sunt, quæ cordis oculos aded obnubilant, & obscurant, & ab omni vera luce alienos reddunt, vt homo nec Deum, nec semetipsum, nec totum vniuersum possit agnoscere. Positus enim extra Deum, extra lucem, extra veritatem, nullum bonum, nullum malum potest discernere, nec inter verum & falsum, nec inter dulce & amarum ponere rationem. Septimum: Homo qui querit suum honorem, totum fundamentum suum collocat in mendacio, in errore, in vanitate, in deceptione, in malo, & in nihilo. Honor enim proprius mendacium, & error, & nihil est. Querens igitur proprium honorem, seruum se facit vanitatis, mendacij, & nihili: & seipsum, qui inter creaturas omnium est nobilissimus, expendit ad errorem, atque stultitiam, & amentiam. Octauum malum: Cum omnis honor sit extra eum, qui honoratur, hinc sequitur, quod homo ad suum honorem operans, & illum multiplicare gestiens, ædificat extra se rem vanissimā, quæ stare non potest: & ita introrsum vacuus remanet, &

m omni

omni solido bono priuatus. Nono : Homo suum ambiens honorē, perdit tempus suum, perdit laborem, studium, & conatum suum, rēditq; ad impossibile, quia suus honor nunquam poterit perfici, nunquam impleri. Sed solus Dei honor (cui resistere nemo potest cum sit omnipotēs) hīc perficietur, hīc consummabitur, hīc manu tenebitur in secula seculorum. D O. Hoc postremum maximē deberet hominē auertere ab ambitione proprii honoris, quādo nec illum quantum uolet poterit acquirere, nec utcunq; adeptum poterit retinere. R A E. Decimum & maximum malum est, quōd sicut honor uerū & confusio opponuntur, ita laus & uituperium, gloria & opprobrium. Et sicut honor non potest mutari nisi in confusionem, ita laus & gloria non nisi in uituperium & opprobrium. Et quia nullus honor uerus est, nisi honor Dei, cui etiā & laus uera est, & gloria uera. Idcirco homo qui honorat, laudat, & glorificat Deū, nunquam illū sequetur cōfusio, nunquam uituperiū, nunquam opprobrium. Sed si quærat suum honorem, suā laudem, & gloriā, oportet ut perueniat ad æternam confusionem, perpetuum uituperium, & opprobrium sempiternum, quod non delebitur. D O M. Meritō id sequitur: Nam ex quo honor proprius hominis est

PERUE

petuerfus, inordinatus, falsus, tortuosus, caducus, miser, iniustus, mendax, vanus, errorietus: ideo permanere non potest, sed concidet, tabescet, deficiet, & sequetur illum summa ignominia, quando reuelabitur confusio nuditatis eius, & pudenda eius in suam faciem retorquebuntur. Eant nunc proprii honoris quæsitores, & ad breue tempus in suis laudibus exultent, vt perpetua confusione contristentur.

*Homo obligatur, ex parte Honoris Dei,  
credere omnibus verbis eius, &  
ea honorare.*

C. A. P.

X X X I X.

R A E M V N D V S.

**Q**uoniam quidem, vt supra declaratum est, quod Deo honor attribui debet in summo gradu: si igitur homo honorat Deum, necesse est vt & verba Dei honoret, & credat cum omni reuerentia Deo loquenti. Quando enim credit homo verbis Dei, tunc reputat eum veracem, iustum, & sanctum, sine fraude, sine mendacio, sine dolo: atque ita honorat Deum, credens sine aliquo testimonio, sine aliqua probatione, simplici verbo Dei: solum quia ipse dicit, vel dici fecit, qui fallere & mentiri nescit. Alio-

m. 2. quin

quin nisi credidero cum omni assensu verbis eius, etiam etsi videantur vel obscura, vel extranea, facio Deo maximam iniuriam, vitium periculum, & contemptum. Debemus igitur primo credere verbis Dei, propter suum maximum honorem: utpote quia ille loquitur, quem nephas est mendacem aut friuolum aestimare. Secundo debemus credere verbis Dei, ratione suae excellentissimae maiestatis & autoritatis. Si loquenti alicui sapienti, aut regi, aut principi fidem habemus: multo magis regi regum, domino dominorum credi debet, & assentiri. Tertio, Ratione suae infinite bonitatis, & purissimae pietatis credi oportet verbis Dei. Nam quod bonus homo loquitur, facile admittitur: multo amplius admitti debet quod loquitur optimus, & sapientissimus Deus. Quarto, Deo credi debet ratione suae infallibilis veritatis: Est enim ipse summa veritas, & summa sapientia, quae falli nequit, atque mentiri. *D D M.* Magnum mihi animum indidisti, credere cum summa reverentia eloquijs Dei. Sed quaeso te, quum processum habiturus sum in credendis Dei sermonibus? *R A E M.* Illum eundem, quem in creaturis cognoscendis ante habuisti. Videmus ad oculum duo esse quae ab homine extra procedunt, scilicet Opus suum, & suum Verbum. Sic similiter duo sunt, quae procedunt

foris.

foris à Deo, Opera & Verba. Verùm quia aliud est Opus, & aliud Verbum, ideò alia scientia est de Dei Operibus, & alia de Verbis. Scientia tamen creaturarũ, quæ manifestè forinsecus apparent, inducunt nos in cognitionem Verborum Dei, quæ minus apparent. Ad cognitionem creaturarũ habuimus tres gradus: Primus, quòd cognouimus ipsas creaturas in veritate existere, sed nesciebamus cuius erant. Secundò, cognouimus, quòd Dei erant, & quòd à Deò conditæ erant. Tertiò, quòd donum Dei erant, & quòd à Deò nobis traditæ erāt. Isto modo oportet procedere confirmiter circa verba Dei, ad cognoscendum quòd Dei sunt. Primò, oportet videre, & acutè respicere ipsa verba in se. Secundò, cuius sunt Verba, an Verba sicut Dei loquentis, vel hominis Tertio, quòd nobis à Deo data sunt ad nostrũ fructum, ad nostram necessitatem, & utilitatem sicut & creaturæ. D O. Sed quæ sunt Dei verba, quibus nobis ad nostram salutem loquitur? R A E M. Non alia pro certo, quàm quæ in sacro volumine (quam nos Bibliam dicimus) continentur, quæ in Vetus Nouumq; testamentum clarè diuiditur. Ibi audis Deum præcipientem, prohibentem, adhortantem, terrètem, blandientem, comminantem, pollicètẽ. Possem ego multis



& fortissimis rationibus tibi demonstrare, Deum Bibliæ sermones per suos vates esse loquutum, nisi nossem te id optimè credere, & vt Christianum nullatenus diffiteri. Quòd si fortè eas rationes cupis agnoscere, lege priorem librum, vnde iste transsumitur, & illic inuenies quomodò etiam paganissimo homini id facitè potuerit persuaderi. **DOMI.** Credo vt Christianus Bibliæ verba, Dei verba esse. Qui autem hoc non credit, pagano deterior est.

*De proprietatibus Verbi Dei: & qualiter  
se homo gerere debet circa  
sacram Bibliam.*

C A P.

X L.

R A E M V N D V S.

**Q**uia igitur credis Bibliam Dei Verba sonare, audi nunc maximo fructu proprietates, & conditiones huius libri, & qualiter te habere debeas circa eum. Primum, ex quo per totum Verus Nouumq; testamentum Deus loquitur per ora sanctorum, idèd oportet credere quæ dicit, oportet implere quæ præcipit, oportet vitare, quæ prohibet, oportet formidare quæ comminatur, oportet sperare quæ pollicetur. Qui autem ista non facit, Deum contemnit, irridet, iniuriatur. **DO.** Imò verò per omnia dignus,

dignus, quòd à sacro Dei libro repellatur. Bestia enim si montem tetigerit, lapidetur.

R. A. E. Secundò, ex quo Biblia liber Dei est, ideò sequitur, quòd nihil est in eo falsum, nihil inutile, nihil superfluū, nihil diminutum, nihil iniquū, nihil friuolū, nihil contemnendū, nihil execrandū. Tertiò, ex quo Bibliæ Verba Dei sunt, ideò omnia quæ illic, aut promittit, aut cōminatur Deus, omnia suo tēpore cōpicbuntur: nō enim vnū iota, aut vnus apex cadet ab omni lege. Alioquin Deus faceret contra suum honorem, seq; mendacem constitueret, quod est impossibile. Si enim homo potes, & iustus nititur toto corde implere Verbum suum, multò magis Deus, cui æquè facile est, & dicere, & implere. Quartò, ex quo Deus sua Verba in hoc libro constituit, ideò homo obligatur Deum, & sua verba diligere, amplecti, honorare, & colere, quæ processerūt de ore Dei. n o m. Meritò id quidem, quia nihil tam propinquum Deo, quàm suū Verbum. Verbum enim Dei ipsum Deum representat, nec aliquid tantum pertinet ad Deum, quàm suus sermo, qui non solum de ore, sed etiam de Dei corde procedit. Erumpit enim ab intimis medullis dulcissimi cōditoris. Meritò igitur amari debet, & coli: quia nihil verbo Dei maius, nihil

m 4            dulcius

dulcius, nihil sublimius, nihil profundius, nihil nobilius, nihil pretiosius, nihil potentius, nihil deniq; salubrius. R A E M. Hinc certè intelligis, mi Dominice, quòd Dei verbum longissimè excellit omnes creaturas, magisq; ad illum pertinet, quàm omnes pariter creature. Quia igitur homo tenetur amare Deū supra omnes creaturas, ita etiā debet amare Dei Verbum plus omnibus creaturis, illudq; contremiscere, & venerari. Hinc sequitur quintum, quòd homo debet summopere cauere, ne aliquando aut irideat, aut abijciat, aut vituperet, aut blasphemet Verbum Dei. D O M. Istud propriè iniquorum est, & hæreticorū, & infidelium. R A E M. Sextò, quòd homo tenetur præparare cor suum ad recipiendum Verbū Dei. Ex quo enim Verbū Dei extra Deum progreditur, nullum alium locū vult occupare, quàm pectus hominis, quod debet esse receptaculum sermonū Dei. D O M. Atque idè qui Tullium libentius meditatur, aut Horatium, aut Vergiliū, quàm Dei Verbū, maximam iniuriā Deo faciunt, quia de suo corde Dei Verba reiiciunt, & illic recipiūt aliena. R A E M. Rectè tu quidem: Vtinam secularium librorū amatores huic nostro sermoni aures commodent: puto non tam libenter vanissimis studijs inhærebunt. Septimò:

primò : Ex quo Verbū Dei ipsummet Deū  
 repræsentat, idè qui in suo pectore Verba  
 Dei recipit, recipit & Deum, gestatq; Deū  
 intra præcordia sua. Nihil ergo sanctius, ni-  
 hil melius, nihil suavius quàm in corde  
 Dei Verba portare. Imò etiam & ore pro-  
 ferre, quod tu Dominice quotidie facis,  
 quia nō expedit fidelem erubescere sermo-  
 nes Dei. Quicumque igitur in corde gestat  
 Verbum Dei, multas inde consequitur &  
 præcipuas utilitates. Prima est, quòd sicut  
 Verbum Dei est vnum, & efficax, & pene-  
 trabile, & mobile, quia exit de corde Dei:  
 idè necesse est quòd viuificet, & penetret,  
 & moueat, iucundet, atque lætificet ipsum  
 cor hominis quod possederit. Secunda : Si-  
 cut Verbum Dei est calidum, & succensum  
 igne amoris Dei: Ignitum enim eloquium  
 tuum vehementer: idè cor hominis cale-  
 facit, & inflammat in amorem Dei. Tertia:  
 Quia Verbum Dei est verum, certū, & fir-  
 mum: idè confirmat cor hominis in veri-  
 tate, & solidat, corroboratq; Quarta: Quia  
 Verbum Dei lumen est, & lucerna, idè cor  
 hominis illuminat, nec finit illud ignoran-  
 tiæ, aut erroris, aut nequitix tenebris obdu-  
 ci. Quinta: Verbum Dei potèntissimum est,  
 & summè actiuū: idè cor hominis poten-  
 ter immutat, protegit, dirigit, & defendit.

Sexta : Quia Verbum Dei altissimum est, ideò rapit cor hominis à terrenis, & ad cœlestia suspendit. Septima : Verba Dei sunt eloquia casta, & septies repurgata sunt quæ gloriola, immortalia, & perpetua. (Verbum enim Domini manet in æternum) ideò faciunt cor hominis castum, purum, gloriosum, immortale, incorruptibile, & æternū. D O M. Ex his manifestè patet, quàm grandem iniuriam facit Deo, & sibi detrimentum, qui contemptis Dei Verbis, humana eloquia in suo corde recepat: Qui aspernatur creatoris verbum, & Verbum amplectitur creaturæ: Qui libentius audit Verbum mendacis, (omnis enim homo mendax) quàm summæ veritatis. Verba mortalis, infirmi, & fragilis, quàm immortalis, & omnipotentis: Verba nihil firmiter promittētis, quàm vitam pollicentis æternam: Verba serui mutilis, quàm altissimi Imperatoris: Verba eius, qui in se habet radicem omnium malorum, quàm eius qui est omnium bonorum fontalis origo. Verum tu prosequere quod cœpisti.

*Comparatio verbi Dei ad creaturas.*

C A P.

X L I.

R A E M V N D V S.

**D**Vo sunt nobis manifesta, quæ nobis cōtulit optimus Deus, & per quæ ipse nobis

nobis plurimum innotescit, scilicet Creaturae quas condidit, & Verba quae dixit. Sed ista duo non sunt aequalia. Primò, Verbum Dei est supra hominem & supra omnem creaturam: omnis autem creatura subijcitur verbo Dei. Secundò, omnes creaturae sunt de nihilo, & de se corruptibiles: sed Verbum domini exit de ore Dei, & permanet in æternum. Tertio, Verbum Dei habet plenum dominiũ super omnem creaturam, nec potest illi vlla creatura resistere, sed mutat, & transformat creaturam: ipsum autem semper immutabile manet sicut Deus, à quo procedit. D O M. Quàm crebro soleat durissima hominum corda permutare, atq; emollescere Verbum Dei, sæpenumero id ipse expertus sum. R A E M. Et adhuc amplius experieris. Quarto, per Verbum Dei omnis creatura facta est, & de Nihilo venit ad Esse, virtute Verbi diuini: habet enim omnem potestatem eius, à quo procedit. Primò enim quod exit à Deo, est suum Verbum, & per ipsum omnia alia subsisterunt. D O M. Hinc patet, Deum multò plus fuisse liberalem, donãdo nobis sua Verba, quàm simul cuncta creata. Et licet nos plurimum consoletur per creaturas, multò tamen amplius per suum Verbum. R A E. In maximo igitur habendum est pretio Verbum

Verbum Dei. Quintò, Verbum Dei exit de corde Dei : & idè quocunq; venerit, secū portat cor Dei, & mentem, & voluntatem Dei : sed creaturæ quæ exeunt de Nihilo, longissimè distant à corde Dei. D O M. Et idè clarè lucet, qui non vult recipere Verbum Dei, non est dignus perfrui creaturis.

Qui enim magna contemnit, iniuste sibi vsurpat minima. R A E M. Optima assertio tua. Sextò, Omnes creaturæ sua pulchritudine, bonitate, varietate hortantur hominem diligere, & honorare Deum factorem suum : sed Verbum Dei idipsum præcepto compellit. Magnū enim mandatū in lege est, Diliges dominū Deū tuū ex toto corde tuo, &c. Septimò: Omnes creaturæ, quæ sunt sub homine, seruiunt humano corpori: indiget enim corpus nostrū cibo, & potu, vt possit nutriri, augeri, conseruari: sed Verbū Dei animam cibatur, & satiat, roborat, augmentat, & in spiritali vita conseruat. Vita enim animæ Amor Dei est, gaudiū, spes, & consolatio secundū Deum. D O M. Meritò id quidem: cū enim anima humana facta sit ad imaginem & similitudinem Dei, & inter Deum & animam nihil est medium: idè nutriri debet diuino cibo, & eo cibo, qui procedit de corde Dei. Qui ergo nō recipiunt in cordis palato Dei Verbum, sed

porco

porcorum siliquis delectantur, vanis dico fabellis hominū, necesse est fame pereant, & morte perpetua moriātur. R. AE. Omnino ita necesse est. Verbū enim quod de corde, vel ore hominis procedit, cum sit fragile, caducū, incertum, & plerunq; mendacijs plenum, animam hominis nō nutrit, sed inficit, nō viuificat, sed occidit. Verūm vt melius noueris, quomodō Dei Verbum animā nutrit, cogita & illa duo, quæ sunt in anima, scilicet Voluntatem, & Intellectū. Vita enim animæ consistit principaliter in Voluntate: quæ quando uiuit, tunc & anima uiuit. Et ided vt Voluntas veraciter, & salubriter uiuat, necesse est vt Dei Verba eā subiptrent, eam uegetent, eam sustentent. Et idcirco Verba Dei nunc præcipiunt, nūc prohibent, nunc exhortantur, nūc laudant, nunc litigant, nunc deprecantur, nunc comminantur, nunc pollicentur: vt hoc modo Voluntas hominis exciteretur ad timorē, ad amorem, ad spem, ad gaudium, ad consolationē. Et quia anima humana, semper querit verborū certitudinē, nec ea facile recipit, si videantur aut dubia, aut inania, aut inutilia: vt ergo etiā Intellectus in dei Verbo pascat, necesse est, vt eloquia sua deus propria autoritate confirmet, quæ tam magna, & solida est, quod excedit omnes rationes,



tiones, probationes, ingenia, & argumenta quorumlibet sapientum. Quando ergo Dei Verba mouent animam ad Amorem, tunc pascitur ipsa Voluntas: quando instruitur ad veritatem, tunc nutritur, & saginatur Intellectus. **D O M I.** Ex his, quæ de verbo Dei luculenter differuisti, agnosco aliam obligationem maximam, qua homo obligatur Deo creatori suo pro suis Verbis ab eo receptis. Ostendisti enim in secundo Dialogo innumeras obligationes, quibus astringitur homo factori Deo pro susceptis creaturarum obsequijs. Verum quia Verba Dei sunt omnibus creaturis multò nobiliora, & homini maximè vtilia, imò necessaria: quia creaturæ corpus hominis respiciunt, Verba autem Dei animam ipsam: ideò sine vlla comparatione obligatur plus homo pro Verbo Dei, vnde anima sua, & nutritur, & conseruatur, quam pro creaturis, quibus ipsum corpus reficitur, & pascitur.

*De tertia natura creata, quæ sine corpore  
persistens, tota spiritualis est.*

**C A P.**

**X L I I.**

**R A E M V N D V S.**

**P**vlchrè post sermonem habitum de Verbo Dei, de substantijs spiritualibus tractare.

stare debemus, quas nos vel Spiritus vel  
 Angelos nuncupamus. Per hos (sicut in tota  
 Biblia sapissimè pater) Dei Verbum homi-  
 nibus reuelatur. Ipsi enim sunt Angeli Dei,  
 potentes virtute, facientes Verbum illius  
 ad audiendâ vocem sermonû eius. D O M.  
 Cùm scalam creaturarû in principio nostrę  
 disputationis crexeris, nihil illic de natura  
 merè spirituali meministi dixisse. R A E M.  
 Idè illic non dixi, quia tunc nō oportebat:  
 Nunc autem ista dissertio hoc in loco, &  
 pro his quæ iam diximus, & pro his quæ  
 post dicturi sumus, opportuna notabitur. In  
 primis igitur ambigere nō oportet, aliquas  
 esse substantias incorporeas, ne maximû re-  
 rum omnium conditorè impotentè, aut dimi-  
 nutû fuisse cogitemus. Qui enim sic cogi-  
 tat, maximè vituperat atq; inhonorat ma-  
 num omnipotentis Dei. Vt ergo Deû sum-  
 mis honoribus prosequamur, cōfiteri opor-  
 tet, substantias esse aliquas merè spirituales.  
 Nā si Deus creauit naturâ totaliter corpo-  
 reâ, vt sunt omnia quæ cōtinètur in tribus  
 inferioribus scalæ gradibus: si etiã crea-  
 uit naturâ partim corpoream, partim incor-  
 poream, sicut est Homo: sequitur etiã, quod  
 creauerit naturâ penitus incorporeâ, qua-  
 lis est Angelus. D O M I. Optima sequela.  
 Cùm enim Deus totus sit spiritualis sub-  
 stans

stantiæ, ideò debuit meritò nō solùm tales substantias cōdere, sed multò plures quàm corporales. Si enim natura merè corporea potest per se subsistere sine spiritu: multo magis, operante Deo, spiritus subsistet sine corpore: Opposita enim æquis rationibus fulciuntur. Hinc patet, Deū spirituales substantias, sicut & corporeas, condidisse. Nō solùm autē, sed & primò & principaliter eas condidisse, cū sint Deo magis similes, & propinquæ. An verò sint in maximo, aut paruo numero abs te audire desidero. R. A. E. M. Omnino necesse est credere, in maximo atq; incōprehensibili eas numero constare. In multitudine enim ministrorū dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis: ideoq; milia miliū ministrant ei, & decies milies centena milia assunt ei. Itaque si in natura corporea sunt innumeræ species lapidum, herbarum, arborum, piscium, avium, quadrupedum, & innumera indiuidua hominum, erūt etiam infinitæ species angelorum. At ne putemus hanc multitudinē cōfusam esse, ideò oportet scire, quòd inter Angelos est ordo pulcherrimus, discretissimus, iucundissimus. Videmus enim quòd in rebus corporeis est ordo mirabilis: sunt enim quædam superiora, quædā inferiora, & quædā his media. Elementa

menta & omnia inanimata sunt infima, vegetatiua, media, sensitiua, suprema: Super hæc omnia est Homo omnium sublimissimus. Habet tamē etiā humana natura multiplicem statū secundum superius, & inferius. In hominib<sup>9</sup> enim sunt Agricole, Mercatores, Burgenses, Nobiles, Milites, Barones, Comites, Duces, Reges: & vnus omniū Imperator. In statu ecclesiastico sunt Rectores, Diaconi, Archidiaconi, Decani, Præpositi, Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ & super omnes Papa apostolicus. Si igitur tam decorus est ordo in his rebus inferioribus, multò amplius in illis nobilissimis altissimisq; spiritibus erit ordo mirabilis, artificiosus, iucundus. Sūt enim inter eos tres Hierarchie, id est, tres sacri principatus, & in qualibet hierarchia sunt infimi, sunt medij, sunt supremi. & hæc ordinatissima cuiuslibet hierarchie multitudo ad vnū tendit omniū supremū. In elemētis, ut videmus, Ignis est dignior: in genere pisciū, Delphin: in auibus, Aquila: in bestijs, Leo: in hominibus Imperator, omnia tendūt ad vnū caput. Ita quoq; in angelis æstimandū est. Verū quia processus noster naturalis est, nec possumus per viā naturæ tam subtiliter loqui de inuisibilibus separatisq; substātijs, sicut fidelis, spiritualisq; theolo-

n

gus:

gus: idè si volueris altiora de his, secretio-  
 raq; cognoscere, doctorū tibi libros scruta-  
 ta necesse est. **V O M.** Ego istud etiam af-  
 firmo. Velim tamē nosse, an ne vt nos ho-  
 mines, ita & ipsi quoq; obligentur Deo cō-  
 ditori suo. **R A E.** Imò verò quā maximè.  
 Habēt enim Liberū arbitriū, habēt intel-  
 lectū, habēt affectū, habent quoq; innume-  
 ra beneficia, pro quib<sup>9</sup> omnibus obligātur.  
 Deū diligere, reuereri honorare, laudare,  
 adorare, benedicere, qui illos de nihilo cō-  
 didit, qui eos supra omnes creaturas subli-  
 maui, qui eos immortales cōstituit, omni-  
 sapiētia & sciētia imbuit, & sua dulcissima  
 visione in æternū felices reddidit. Verū vt  
 ad nostra redeamus, multū hæ substantiæ  
 incorporeæ (angelos dico) nos obligāt do-  
 mino Deo nostro. **D O.** Quare id obsecro?  
**R A E M.** Idè scilicet, quia nobis quotidie  
 sua beneficia præstant. Omnes enim admī-  
 nistratorij sunt spiritus, missi in præsidia  
 eorū, qui hæreditatem capiunt salutis. Ne  
 enim peccemus custodiunt, peccantes ar-  
 guunt, lapsos erigunt, cor compungunt, ad  
 veniam dirigunt, ad pœnitentiam cogunt.  
 In aduersis & arduis casibus nos corrobora-  
 rāt, nos lætificant, nos conseruant. Postre-  
 mò nostram illuminant rationem, excitant  
 voluntatem, tribuunt boni operis faculta-  
 tem.

em. D O M. Breuiffimo uerbo maxima in nos Angelorum beneficia demonstraſti, pro quibus astringimur Deum, qui tales nobis promotores contulit amare, timere, gloriſicare, & multo amplius qua pro omnibus obſequijs qua a uifibili creatura ſuſcipimus. Hæc enim corporalia ſunt, & corpori ſolo præſtantur: illa uero ſublimia ſunt, & ſpiritualia, uoluntati tantummodo commoda, & rationi. R A E. Certè nunc uidiſti in hoc quoque dialogo, & in præcedenti, quomodo obligetur homo, amare, timere, & honorare Deum factorem ſuum. Nunc ſuperèſt oſtendere, an homo etiã id exoluit, id reddit, quod tenetur. Cum multa uoluptate & animi oblectatione qua hætenus loquutus ſum excepisti, ſed puto te in ſequenti diſputatione lachrymas effuſurum. Verum quia iam cernis nobis radios ſolis occumbere, & iam in longum noſter ſermo proceſſit, dignum eſt ut ſicut hætenus animæ, ita & a ſello corpori tribuam quod ſuum eſt. D O M. Placet: ſed licet (ut dicis) triſtia ſim auditurus, noueris tamen ſummò mane ad tuas me poſtea rediturum. Triſtia enim, eſſi amara ſunt, tamen plerunque ſaluberrima ſunt.

## Q V I N T V S

D I A L O.

G V S.

*De miserabili hmmani generis lapsu: & quòd per vñũ hominem omnes cecidimus.*

*An talis sit homo, qualis esse debet: & an faciat, quòd facere tenetur.*

C A P.

X L I I I.

D O M I N I C V S.



**I**OTA hac nocte concitauit me spiritus meus præ desiderio sermonum tuorum. Sæpe enim causabar noctis morã: at verò vbi aspexi tenuissimũ auroræ lumen, subito è strato membra corripui, & huc hesternæ pollicitationi festinus occurro. **R AB.** Amo, mi Dominice, sollicitudinem ardoris tui. Hactenus, sicut nosti egimus processum nostrum: per modum obligationis ac debiti. Ostendimus enim hominẽ propter multa beneficia, quę accepit, obligari Deo muneratori suo. hæc quoque obligationem esse naturalem, perpetuam, indelebilem, incorruptibilem, scriptam stylo ferreo in vngue adamantino,

&amp;

& exaratā in anima & corpore hominis, & in omnibus creaturis. Omnia enim creata propter hominem huius insolubilis obligationis conferūt testimonium. Ostendimus etiam quā grandia bona sequātur hominem, si debitū quo obligatur exoluerit: & quā inexpiabile malum incurrat si contē sperit. Nunc autem adiutore Deo inquitendum est, an homo debitū obligationis, quo tenetur implicitus, etiam exoluat: an suum opus cū suo debito concordet: an sit iustū vel iniustū, rectum an obliquum, secundū Deum vel contra Deum, id quod agit. Scrutemur nunc profundè ipsum hominem, & interna viscera eius, omnesq; medullas penetremus, & inueniemus proculdubio, nihil hominem agere, aut cogitare, quod tenetur: sed omnia efficere contraria. Formemus igitur mentē ad lachrymas, & cum gemitu planctuque loquamur: videbimus enim grauissimam ruinam nobilissimæ & altissimæ creaturæ: & eam ruinam, quam nemo poterit erigere, nemo valeat expiare. D O M. Initia hæc sermonum tuorū gemitus mihi ocyus excutiunt. Tu tamen repressis parumper lacrymis, sensum tuum potenter exequere. R A E M. Faciam quantum potero. Prima lux, qua innitimur ad cognoscendum hominem, est agnoscere



quid facere debeat: secunda, videre quid faciat. Agnouimus itaque ex precedentibus libris, quid homo obligetur agere, quid cupere, quid ore proferre: hęc autem agnosce-  
 mus quid agat, quid cupiat, quid loquatur. Agnouimus (vt dixi) quod homo tenetur primò Deum amare, timere, honorare, laudare, benedicere, venerari, & diligere. proximum suũ (qui Dei imago est) sicut semetipsum. Ecce hoc debet homo: vide nũc quid agat. **DO.** Video planè nihil tale hominem agere: sed omnia cõtraria. Amat enim, heu dolor, primũ semetipsam, & cõtempso nequiter creatore propriũ quærit honorem, propriã laudem, & famã, & gloriã: & quicquid debet dari principaliter Deo factori & muneratori suo, sibi tribuit diligit, & impendit. **R. A. E. M.** Ex isto palam adinaduer-  
 tertis, hominẽ penitus corruisse, habereq; voluntatem omni iustitię rebellem, totiq; legi naturę contrariam, extra Deum, extra omnẽ pietatis regulam, extra semetipsam penitus corruptam, erraticã, impiã, peruersam, alienatam, turpissimã, superbissimam, falsissimam, odibilem Deo, & ab eius confortio longissimè separatã, & æterna morte sepultam. Qualis autẽ voluntas hominis, talis est & totus homo, Deo cõtrarius, Deo rebellis, Deo capitalis inimic⁹ omnium malorum

malorum radicem in se cōtinens, perditus, corruptus, bis mortu<sup>9</sup>. Hinc sequitur, quod talis homo vadit ad æternam tristitiam, æternam pœnã, æternam miserã, & ad calamitatem inexpiabilem: eò quod perdidit, repuleritq; perpetuum sui conditoris amorem. D. O. Apertissimè nũc liquet: quæ sit hominis amara perditio, alienatio, corruptio, degeneratio. Hoc omnes creaturæ clamitant, hoc prædicant, hominem esse veraciter perditum, æterno supplicio dignum, & à Dei amicitia perpetuò separatũ. R. A. S. Vidisti nunc non sine gemitu quàm perditè se homo gerat erga Deum: vide nunc, quomodò se habeat erga Dei imaginẽ, scilicet proximum, & ampliorem eius ruinã intelliges. Homo enim obligatur amare quemlibet alium hominem sicut semetipsum. Verum nunc experimento discimus, quod homo hominem lædit, affligit, confundit, destruit, & occidit. Nulla est inter homines vera vnitas, vera societas, vera pax, amicitia, concordia: sed inimicitia, cōtentiones, emulationes, dissensiones, iræ, rixæ, inuidiæ, sectæ, & vniuersæ malitiæ. Quod si forte inter aliquos reperiãtur aliqua aut concordiæ, aut amicitia, non illæ de amore imaginis Dei oriũtur, sed ppter tēporales vel carnales rationes, quæ sincerũ amorẽ

n 4      nunquã

nunquam constituunt. D O M. Homo qui Dei inimicus est, Dei etiã imagini semper contrarius est: nec potest vero corde proximum diligere, qui Deum contemnit amare. Neq; id mirũ, si quemlibet extra se hominẽ odit, qui neq; seipsum diligit. Qui enim diligit propriũ honorẽ, odit profecto animam suã. R A E. Cũm videam hominẽ sic in abyssum omnis malitiæ corruisse, nõ possum lachrymas continere, cernens eum non sentire suam corruptionem, suã perpetuã mortem. Non dolet, nõ flet, non ingemiscit: imò quotidie ridet, iocũdatur, superbit, exultat, & more amentis frenetici in febre carnis sensum perdidit cordis. Et instar eius qui lethæo somno obdormiscens sua mala non sentit: Vulnerauerunt me, ait, & ego non dolui: percusserunt me, & ego nõ sensi. D O M. Quia ergo in semetipso sua mala non sentit, ostende ei obsecro per res extra corruptas quid de sua corruptione sentire possit: Reduc eum per id quod extra nouit, ad seipsum, quem non nouit.

Homo

*Homo potest considerare corruptionem suam  
per res externas in se corruptas.*

C A P. X L I I I I.

R A E M V N D V S.

**F**Acilè id fecero: vtinam dignetur ad-  
uertere. Primò videat, quomodò vinū  
corruptum sit, quod est in acetum permuta-  
tum. Vinum enim & acetum habent qua-  
litates contrarias. Nam vinū est calidum,  
dulce, potabile, delectabile: Acetum verò  
est frigidū, acerbū, quando nec potari po-  
test, nec delectare. Talis est & homo, frigi-  
dus, amarus, & horridus. Et sicut acetū ni-  
hil valet ad id, quod antè valebat: ita & ho-  
mo penitus inutilis factus est, & Deo, & si-  
bi, & creaturis. Et sicut acetum reiectū est  
à mensis, eo quòd nullam habeat vini pri-  
stini bonitatem: ita & homo ab oculis Dei  
proiectus iacet, eo quòd nativam perdide-  
rit dignitatem, & factus sit acetosus, pon-  
ticus, crudelis, acerbis, æterna abominatio-  
ne dignissimus. Secundo, quātum distat ho-  
mo freneticus, amens, & fatuus ab homine  
sensato, sapiēte, & docto: tantum distat sta-  
tus hominis, in quo, nūc putridus iacet, ab  
illo statu in quo meritò esse deberet. Ter-  
tio, quātum distat mulier sordida, fornica-  
ria, & adultera, quæ sicut stercus in via cō-  
culcatur,

calcatur, à muliere pudica, sobria, & honesta: tantùm distat homo nunc fornicans, & recedēs à Deo suo, qui deberet illi esse fidelis, continens, & pudicus. Quartò, sicut arbor quæ habet in radicibus medullã amarã, crudã, & syluestrem, poma tribuit pontica, acerba, syluestria, quæ si quis gusta uerit, obstupescunt dentes eius: itã homo cū habeat voluntatē corruptã, impiã, amarã, omnia opera eius corrupta nascuntur, Deo & omnibus exosa creaturis, æternis ignibus deputata. D. O. M. Utinam in his speculis homo suam turpitudinem uelit attendere, ut se deformem lugeat, & miserabilem.

*Lapsus & corruptio hominis potest attendi esse parte iuris paternitatis, & filiationis.*

C A P.

X L V.

R A E M V N D V S.

**A** Nimaduerte nunc etiã hominis corruptam vitam, conferendo inter se ius paternitatis, & filiationis. Attende diligenter quid filius debeat suo patri carnali, à quo solum corpus accepit: & faciliè cognosces, quid homo debeat Deo patri suo, à quo animam nobilissimã adeptus est, incorruptibilem, insolubilem, spiritalem, interminabilem. Debet enim filius patri  
tempo

temporali amorem, timorem, honorem, fidem, reuerentiam, obedientiam, constantiam, perseverantiam, obsequentiam. Pari modo, imò multò amplius, homo patrem suum spiritualem Deum tenetur amare, metuere, honorare, obedire, &c. Item filius carnis cauet, ne aut offendar, aut vituperet, aut contristet, aut dehonestet patrem suum: Cauet etià, & se opponit, ne ab alijs aut offendarur pater, aut vituperetur, aut contristetur, aut indignò agatur. Hęc omnia multò diligentius debet obseruare homo erga Deum genitorē suum. **D. D.** Quorsum ista? **R. AB.** Ut palam videas hominis ruinam: homo enim in eo statu, in quo nunc lapsus iacet, erga Deum nec amorem habet, nec timorem, nec obedientiam, nec humilitatem, nec subiectionem, nec confidentiam, nec spem, nec credulitatem. Imò (quod sine gemitu non audies) odit Deum, & contemnit, vituperat, & in faciem eius superbiens rebellem se illi, & inobedientem, audacem, timidumque constituit. **D. M. I. C. V. S.** Hinc reuera patet hominis perditio, corruptio, alienatio, & sempiterna deiectio. **R. AB. M. V. N.** Planius adhuc patebit. Nos videmus ad oculum, quando filius, aut offendit, aut superbit, aut calumniatur patrem suum carnalem, omnes eum & nequissimum, iniustissimum,

iustissimum, ingratisimum iudicamus, freneticum eum, & insanum dicimus. Cogita nunc quo iudicio, quo vituperio, quo supplicio dignus sit, qui patrem spirituum offendit, & mille iniurijs afficit. Præterea si grauisimum crimen est exasperare, & contemnere patrem potentem, diuitem, nobilem, sapientem: sine comparatione magis delinquit, qui regem omnipotentem, & summe sapientem, & optimum genitorem Deum aspernauerit. Quid nunc tibi videtur? DOMINI. Nihil aliud planè, nisi quòd homo se habet ad Deum, sicut proteruus, & rebellis, & superbus filius ad patrem suum. Atque idè incurrisse iram, & indignationem inextinguibilem Dei patris omnipotentis, perdidisseq; omnem hæreditatem, omnia bona, atque infinitas diuitias illius, nec iam posse sperare aut pacem, aut regnum, aut consortium eius, magis autem proijci foras, & in carcerem sempiternum mancipari.

*Lapsus hominis potest ostendi ex parte  
iuris fraternitatis.*

C A P.

X L V I.

R A E M V N D V S.

**Q**uòd in maximam ruinam ceciderit, poteris etiam animaduertere, si ius fratern-

fraternitatis inter homines consideres. Si enim inter fratres carnales est tantus amor, tanta vnitas, tanta germanitas, quòd nihil habeat diuisum, nihil proprium, sed vnus alterum defendit, protegit, dirigit, auxiliatur, & se in mortem obijcit pro altero. Et hæc omnia faciunt, quia habent vnum atq; eundem patrem hominem, à quo carnali generatione prodierunt. Multò magis homines, quibus est vnus pater spiritualis Deus, à quo omnes animam receperunt, debent se diligere, tueri, auxiliari, & in mortem tradere propter animas suorum fratrum. Hoc enim vehementer Deus pater noster videre desiderat, hoc approbat, hoc se plurimum delectat. **D O.** Nihil tale inter homines nunc reperimus. Et licet vnum habeant patrem Deum, summæ maiestatis, & bonitatis dominum, vnus tamen alterum persequitur, odit, execratur, & rapinis, fraudibus, iniurijs, adulterijs, cõuicijs, ludibrijs, & mille nequitijs contristat, conturbat, contaminat, & exterminat. Quia igitur omnis pax, concordia, veritas, iustitia, amor, misericordia, & fraterna dulcedo inter homines periit: deò manifestissimè patet, hominem esse corruptum, lapsum, putridum, peruersum, perditum. Cecidit enim à statu spiritualis paternitatis, à statu maximæ dignitatis & gloriæ ad  
 statum



statum summæ ignominie, summi vituperij, & opprobrij, à statu vitæ ad statum mortis sempiternæ. R. A. E. Optimè tu quidem: Reuera enim in mortem animæ cecidit homo, etiã si corpore viuat. Quodd autem ani-

Quodd anima hominis mortua sit, facile id probaue-  
nima ho- ro. Aliqua enim res cognoscitur viuere dum  
minis suas exercet operationes: si autem non ope-  
mortua ratur, mortua est. Et quia homo non opera-  
est. tur in quantum homo, (non enim amat, aut honorat Dominũ Deum suum, nec diligit fratrem suũ) ideò secundum animam mortuus est homo. Præterea vita animæ est Gaudiũ, quod prouenit de puro amore, & societate Dei, de vera quoq; adiuicem fraternâ charitate. Vbi autem tale Gaudium non est, ibi nulla animæ vita est: mortua igitur est.

Præterea anima non sentit, quia non ingemiscit malum suũ, suam corruptionem, alienationem, perditionem: ideò verè mortua est, & lethæo pœculo consopita. D. O. M. I.

Ex isto luce clarius apparet, animã sic mortuam, & suis malis penitus absorptã, ad æterna nesciam festinare tormeta, nec vnquam sese sentire posse, nisi dum in medijs omnium pœnarum supplicijs se inuenerit immerfam. Sed dicito mihi obsecro, nunquid in tam miserabili, & perditissimo statu optimus Deus hominem à principio condidit?

Deus

*Deus non condidit hominem in eo statu,  
in quo nunc lapsus iacet.*

C A P.

X L V I I.

R A E M V N D V S.

**N**Vlla ratione dicere oportet, Deum in hoc statu, imò in hoc lapsu hominem condidisse. Quod potest ostendi multis modis. Primò: Cùm Deus omnia operetur propter honorem suæ potestatis, sapientiæ, & bonitatis, nunquàm debuit hominẽ omnium creaturarum nobilissimam facere corruptum, turpem, bestialem, impium, inordinatum, iniustum, qui omnes creaturas bonas fecit, & valde bonas. Hoc enim derogaret maximo honori suo. Secundò: Status, in quo nunc homo iacet, est omnino contrarius, & inimicus Deo. Est enim homo in hoc statu Dei aduersarius, suum vsurpans honorem, & gloriam, & sibi ipsi tribuens. Talem igitur Deus hominem nõ condidit, qui sibi semper aduersaretur, & dura ceruice resisteret. Tertiò: Diximus suprà, quòd sicut Deus omnia propter suum honorẽ, ita etiã propter hominis vtilitatẽ operatus est. Non ergo fecit hominem in malum, & incommodum sui ipsius: quod utiq; sequeretur, si eum talem creasset, qualis modò est. Homo enim vt modò est, est penitus sibi ipsi  
contra-

contrarius, in suum vergens incommodum,  
 & maximum detrimentum? eò quòd amat  
 in se propriam voluntatem, proprium ho-  
 norem, quæ radices sunt malorum omnium,  
 quæ mergūt eū in interitum sempiternum.  
 Per has enim radices operatur continuè  
 contra semetipsum in suum damnum, in  
 suam ignominiam, in suam confusionem,  
 & punitionem perpetuam. Quarto: Deus  
 non debuit facere hominem contra ordi-  
 nem totius vniuersi, omnes enim creaturæ  
 faciunt quod debent, & suo obediunt crea-  
 tori: sed solus ab imposta lege vagatur ho-  
 mo, solus ipse obedire contemnit, superbus,  
 turgidus, erectus contra dominum creato-  
 rem suum. Præterea, creaturæ requirunt ho-  
 minem, quòd sit amicus Dei, quia homini  
 seruiunt propter Deum: requirunt etiam ho-  
 minem rationalem, sapientem, ordinatum,  
 compositum. Sed homo in hoc statu est Dei  
 inimicus, bestialis, insipiens, inordinatus, in-  
 compositus. **D O M.** Verè bestialis, & inor-  
 dinatus, in quo anima miserabiliter seruit,  
 & corpus nequiter dominatur: cùm tamen  
 anima sit immortalis, incorruptibilis, spiri-  
 tualis: corpus verò sit mortale, animale, ter-  
 restre, corruptibile. Quid tam bestiale, quid  
 tam peruersum, quàm ipsum corpus cum  
 suis irrationabilibus, & turpissimis motibus  
 animæ

animæ (quæ regina, & domina est nobilissima) dominari: eam verò corpori subesse à corpore captiuam trahi, & suis ignobilissimis passionibus ac voluptatibus assentire, imò non posse resistere? Reuera ingens in homine ignominia, qui patitur in se rem bestialem, & corruptibilem dominari rei nobilissimæ, atque perpetuæ. R A E M V N. Hinc sanè intelligis, omnes creaturas, quæ inter se ordinatissimè sunt, hominis turpissimam arguere deordinationem: ostendereq; eū esse totius turpitudinē, & spurcitiæ vniuersi: Quia igitur nihil operatur Deus contra ordinē vniuersi, sequitur q̄ non talē fecerit hominem, vti nunc est. Qui enim fecit creaturas bonas propter hominem, magis debuit facere hominem bonum. D O M. Optima assertio tua. Quia igitur optimus conditor Deus non fecit hominem, qualem nunc cum lachrymis vidimus: rogo te, mi Ræmunde dulcissime, ostendito mihi, in quo illum statu primū Deus creauerit. Sicut enim acetum, arguit vinum fuisse, ita hīc lapsus hominis arguit hominem aliquando stetisse.

o Primus

*Primum hominis status qualis fuerit, & quæ conditiones eius.*

C A P.

XLVITII.

R A E M V N D V S.

**I**ste lapsus hominis: ( ut verè dicitis ) satis ostendit, ipsum hominem alium vitæ statum aliquando habuisse, & conditiones contrarias conditionibus quas nunc videmus. Conditiones verò, quas nunc in homine cum gemitu intuemur, sunt, quod non cognoscit, non diligit, non metuit, non laudat, non honorat Deum factorem suum, sed amat propriam voluntatem, propriam laudem: vanè timet, vanè sperat, vanè desiderat, post vanitatem ambulat, & vanus effectus est. Præterea contra rationem irascitur, odit, indignatur, ambit, concupiscit, & plus quàm oportet comedit, & bibit. Et hæc quidem sunt mala animæ. Mala corporis sunt infirmitas, fragilitas, carnis lubricitas, fames, sitis, algor, & calor, grauis & molesta senectus, incerta & amara mors. Ex his conditionibus malis arguimus hominem contrarias aliquando conditiones habuisse, Deum scilicet suum cognouisse, amasse, metuisse, honorasse, laudasse. Non tunc propriam voluntatem, aut laudem, aut gloriam quæsiuisse, nihil turpiter appetisse. Corpus verò hominis erat animæ  
verè

verè subiectum, sanū, integrum, robustum, vegetū, sacco plenum, æquū, impasibile, incorruptibile, agile, immortale .D.O. Iste conditiones, quas tunc habuisse hominem ostendis, arguunt in alio quodam loco habitasse, qui omnino sit isti loco contrarius.

R. AB. Arguunt planè, & ideò ante ruinam homo incolebat locum amœnissimum, iucundissimum, lucidissimū, suauissimum, opulentissimum, temperatissimum, in quo nec caumata, nec frigora, nec venti, nec turbines, nec grādines, nec fulgura, nec tonitrua, nec aliqua peregrinæ inherant impressiones. In hunc autē mundi carcerem post præuicationem homo profectus est, in quo est tanta elementorū inclementia donec iudicij dies aduenerit, vt vel tunc condemnatus perpetuò crucietur. D.O. O' amaram miseriam: sed vltèrius quæso profiscicere.

R. AB. Hominem aliū habuisse vitæ statū ostendunt palā omnes creaturæ. Sicut enim omnes colligantur cum homine: ita & iste homo per bonam voluntatem suo fuit vnitus & completus creatori. Habebat enim se sicut opus ad suū opificē, sicut muneratus ad largitorem, sicut seruus ad regem, sicut filius ad patrē. Secūdo, ex quo tota nobilitas hominis cōsistit in libero arbitrio bono, sano, & integro. (p liberū enim arbitriū homo

dominatur omni sub se creaturæ ) consequens est, quòd Deus fecerit hominem cum bono, & recto, & perfecto libero arbitrio. Cùm enim nihil sit peius, nihil vilius, nihil turpius, nihil abominabilius, quàm corruptū & putridum liberum arbitrium: idè nequa quàm Deus tale arbitrium homini dedit. Alioquin dando tale liberum arbitrium, omnem abstulisset homini libertatem : quia dedisset ei libertatem contra libertatē. Corruptum enim liberum arbitrium, & proclive, ac prouum in omne malum, miserè liberum est: imò captiuū abducitur, vitijs & sordibus irretitum. D O. Hęc est sententia sapientis, Vinculis seu funibus peccatorum suorum vnusquisq; constringitur. Patet igitur, ne libertas subruat libertatem, hominem accepisse à Deo optimam liberi arbitrij possessionem, nec quicquā habuisse rebellionis siue in mente, siue in carne. R A B. Hinc sequitur tertiū, quod dicere volui, qd in primo statu nihil in se homo possidebat, quod erat suæ voluntati cōtrarium. Et idè anima immortalis nolebat corpus suum esse mortale, passibile, variabile, infirmum, caducum, morbo aut senio confectum. Habebat igitur tale corpus, quale valebat, impassibile, robustū, gratissima iuuetute compositum, insolubile, immortale. D O. Quo modò

modò quæso potuit corpus esse immortale? **R. A. B.** Virtute temperatissimæ complexionis, & virtute animæ immortalis: quædiu enim anima non fuit corrupta vitij, nō poterat corpus morbis aliquibus aut fatigari, aut frāgi. At quoniam omnes creaturæ obediebant homini, homine obediente creatori, idè non poterat nec ab igne lædi, nec vndis sorberi, nec terra subrui, nec aëre corrumpi, nec à feris immitibus lacera-ri, nec aliquo extrinseco vel intrinseco ad mortem vgeri. **D. Q. M.** Breuiter quidem, sed multùm luculenter ostendisti mihi, quem habuerit homo statum antequàm in hanc ruinam descenderet miserandus. Verùm cum tu nunc dixeris, nec ab aliquo intrinseco, vel extrinseco, præpediri, aut decipi, aut corrumpi hominem potuisse, vnde ergo venit homini ista corruptio, ista deie-ctio, ista perditio?

*De origine corruptionis, & mali, quod est in natura humana.*

C A P.

X L I X.

R A E M V N D V S.

**A**D imum vsque hominis putredinem perscrutantes, inuestigabimus quæ sit causa huiusmodi corruptionis. Et breuiter dico, si homo à nullo aut corrumpi, aut decipi potuit, igitur corruptus est, &

● 3      deceptus



deceptus à semetipſo. Ex quo enim nihil pa-  
 ti poterat contra ſuam liberam voluntatē,  
 ideò ſequitur, quòd ſponte ipſe ſe talem te-  
 cerit, & ſua propria voluntate. D O M. Iſtud  
 eſt omniū amariffimū., quod poteſt audiri:  
 Si enim in arce libertatis, & omniū bonorū  
 conſtitutus, in hanc calamitatē ſuā ſponte  
 homo collapſus eſt, quis iam miſerebitur  
 eius? Sed tu, rogo, proſequere ulterius. R A B.  
 Quicquid enim boni erat in homine aner-  
 ruinam, hoc poſſidebat gratia liberi arbi-  
 trij ſani, atq; perfecti: ita quicquid eſt nunc  
 in homine corruptionis, malitię, pœnę, atq;  
 miſerię, de putredine & amaritudine venit  
 liberi arbitrij. Et quia omnia debēt propor-  
 tionari libero arbitrio, quādo illud eſt ma-  
 lum atq; corruptū, neceſſe eſt quòd omnia  
 quę ſunt in homine mala ſint, & putrida, &  
 mortifera. Hinc animā raptant mille furo-  
 res, irę, invidię, concupiſcentię, ſcelera o-  
 mnia, atq; peccata. Hinc etiā corpus infini-  
 tis ſubiacer calamitatibus, morbis, paſſioni-  
 bus, motibus. D O M. Nihil verius, quàm  
 quod tu diſis. Ex quo enim Deus liberū ar-  
 bitriū nec malū, nec corruptū fecerit, verè  
 ſequitur, quòd liberū arbitriū corruerit ſe-  
 metipſum. Et quicquid in homine miſerū  
 eſt, atq; malignū, ex mera & ſpontanea de-  
 cenderit voluntate peccantis. R A B. M.

Non ne

Non ne ergo tibi iustum videtur, vt qui in malum cecidit voluntariū, malum inuoluntarium patiatur? Non ne iustissimū est, vt qui sponte corrumpit in malum culpę malum pœnæ etiā inuitus sustineat? D O M. Nihil iustius: Necessariò enim vnū ab altero procedit. Vnde quia primū malum est voluntarium, & delectabile, & ideò non facile sentitur; ideò necessariò secundū malum adhiberi debet, quod est inuoluntarium, pœnale, atq; molestū, vt hoc posterius primū manifestet, & à sua reuocet amentia: Semper enim vexatio magnum confert intellectum. R A E M. Ex isto pulchrè intelligis, oportere esse aliquem iustitię ordinē quo primum malum (quod est malum culpę) puniatur per malum pœnæ, quod tamē est bonum iustitię. Primum malum est causa secundi: sed illud ab homine malo sponte committitur, istud à bono iudice Deo homini irrogatur: vt qui non timuit perpetrare malum, quod non oportuit: malum sustineat, quod maximè vult. D O M. Iustum profectò iudiciū, vt quia voluntas hominis exijt ab ordine naturę, in ordinē cadat districtę iustitię. Iustū certè est, vt qui semetipsum sponte impulit in malū delectabile culpę, à Deo iudice impellatur in malum miserabilis pœnæ. Quia enim homo

gloriam sui arbitrij & decorem propriæ dignitatis in totam malitiæ turpitudinē permutauit, idē fecit Deo summam iniuriā, summam offensam statuit, & discordiā : ac proinde tanquā Deo contrarius, perdidit eius amicitiam, cōplacentiam, & gratiā : & idcirco plaga inimici percussit eum vulnere insanabili, castigatione crudeli. Cupio tamē abs te nosse huius miseræ atq; malitię autorem, hunc mihi vno digito ostendito.

*Propter primi viri, ac mulieris inobedentiā  
hoc malum culpæ & pœnæ in omne hominum  
genus intromissum est.*

C A P.

L.

R A E M V N D V S.

**S**I sacris literis credimus per Adam primum virum, & Euam suā coniugē, hoc corporis & animæ malum, quod patimur, transmissum est. Verū quia totus processus noster naturalis est, & nihil per scripturas probamus, propter incredulos : idē ad oculum necesse est hunc primū hominem demonstrare, & primam corruptionem. Sicut ex malo pœnæ arguimus malum culpæ fuisse, ita ex qualitatibus & conditionibus pœnæ qualitates pœnarum agnoscimus. Et quoniam pœna, quæ est in natura hominis, est vni

est vniuersalis, & communis omni sexui, & omni conditioni : ideò & culpa, & iniuria, est omnibus communis, atque vniuersalis. Et quia omnes nascuntur cum ista pœna, & miseria, sed neque in vtero, neq; nascendo possunt committere culpam: quia culpa malum est voluntariũ, quod à paruulis nascentibus perpetrari non potest : Idcirco clarè patet, quòd ille qui fecit primum malum, voluntarium, vir fuerit perfectus, & adultus, fueritq; primus homo, pater vniuersalis generis humani, à quo hæc malitiæ & corruptionis venena in omne hominũ genus longè, lateq; diffusa sunt. D O M I. Prudenter ostendis ex identitate pœnarum in omne hominum genus ab vno primo parente omnes propagatos esse, & de lapsu vnus omnes corruisse. R A E M. Verum quia hoc malum est, in vtroque sexu, ideò sequitur, primam etiam mulierem fuisse corruptam, & hanc culpam & coniugi & vxori esse communem. Et quia videmus quasi duplicatam pœnam in muliere, quæ in dolore grauissimo & parturit, & parit. Hinc facile aduertimus, fœminam primũ offendisse Deum, & ab ipsa omnem corruptionis & malitiæ fomitem emeruisse. D O. Primum mihi hominẽ ostēdisti: sed ostende nunc obsecro primam culpam. R A E M.

Dictum est supra, quòd in primo statu ante  
 lapsum Adæ omnia membra hominis obe-  
 diebant voluntati, erantq; sub imperio ra-  
 tionis. Sed modò experimur vnum mem-  
 brum in vtroq; sexu, membrum scilicet ge-  
 nitale, tam rebelle esse, vt nolit acquiesce-  
 re imperio coërcentis: quid hoc putas signi-  
 ficat? D O M I. Hoc certè, quòd sicut omnes  
 per inobediëntiæ membrū generamur, ita  
 omnes nos esse inobediëntiæ filios, & paren-  
 tes habuisse rebelles. R A E. Rectè tu quidò.  
 Nam patètes habuimus Deo inobediētes,  
 sed inobediens nemo est, nisi qui cōtemnit  
 mandatum: fuit igitur aliquod Dei manda-  
 tum, cui inobedientes extiterunt. Omnino  
 Deus debuit primis parentibus ponere ali-  
 quod mandatū propter certas rationes. Pri-  
 mò, ratione liberi arbitrii, cuius sunt opera  
 remunerabilia: vt ergo ex parte operū arbi-  
 trii recipiat homo præmium, prius debuit  
 habere mandatū. Secūdò, cum homo (li-  
 cet impassibilis esset, & immortalis) ege-  
 bat ampliori perfectione, & cœlesti gloria,  
 iucunditate, & beatitudine, ad hoc enim  
 suus eum conditor fecerat: ideò Deus de-  
 buit illi dare promerendi occasionem. Et  
 quia nihil efficacius est ad meritum, quàm  
 pura & prompta obediëntia. Primū enim &  
 radicale opus serui ad dominū est, ex corde  
 & sim

& simpliciter obedire, in quo omnia alia opera fructuosa redduntur. Nam si obedientia non est synccra, nullum erit opus acceptabile: idcirco certè homo debuit primùm exerceri in opere obediētīæ. Debuit igitur accipere mandatū, & tale mandatū, in quo nulla potuit vtilitas apparere, ne propter commodū cuperet operari, sed ex mera obedientia præcipientis Dei, vt vel sic dilectio probaretur, & probata coronaretur. Verùm ne putaret hoc mandatū homo frivolum esse, nec magnopere Deum curare, si rumpere, idèd grauissimam pœnā cōminatus est Deus, mortem scilicet, quæ est omnium formidatissima, & amarissima, vt suū præceptum seruaretur illæsum. D O M. Intellego manifestè primam culpam. Ex quo enim ab Adā in omnes homines mors suā exercet tyrannidem, facile liquet, hanc de inobediētia primi patris pullulasse. Prima igitur inobediētia est, de qua omnium malorum, pœnarum, corruptionū, ac calamitatū germen emerit. Si enim homo protoplastus obediētiam suam seruasset opifici, omnium bonorū confirmationem meruisset, & æterna esset gloria coronatus. Sic postquam obediētiam fregit, quicquid boni habuit, perdidit, & perpetuam amaritudinē conquisiuit. Et tamen vehementer mirandum,

dum, cur homo in tanta perfectione creatus, diuinis beneficijs auctus, Dei specialis amicus, singulariter ab eo sublimatus, Deū sic voluerit offendere, & fracto tam facili mādato, nihil læsus pertinaciter rebellare.

*Homo nunquam Dei præcepta fregisset, nisi ab alio fuisset instigatus.*

C A P. L I.

R A E M V N D V S.

**R**euera, mi Dominice, nunquam homo tantis beneficijs honoratus Dei mandata fregisset, nisi per alium quempiā fuisset instigatus. Rursum nunquam potuisset homo Dei amator instigari ad mandata frangenda, nisi instigator maius aliquod promississet bonum, quàm quod homo tunc possidebat. Improbata igitur atq; importuna instigatio, & magnarū rerū promissio, hominem impulit ad ruinam. D O M. Sed quis fuit obsecro ille falsarius, qui huiusmodi dolis hominem fefellit, & impulit? R A E. Quicquid homine inferius est (eo quòd industria caret) hominem decipere non potuit: sed nec ipsa hominis natura in id inclinata fuit. Ergo sequitur, quòd malignus aliquis sciens, & potens operari malum, & hominis inuidens prosperitati, & aduersarius creatori, hominē instigauerit in istam præsumpti

sumptionis audaciam. **D O M I.** Oportet ergo necessariò dicere, quòd iste qui impulit, vel persuasit homini, naturæ fuerit spiritalis, Angelus aliquis malus, corruptus, erraticus, & prolapsus. Atq; inde sequitur, quòd in natura merè spiritali facta erat corruptio, antequàm fieret in natura humana. **R A E M.** Verè sequitur. Nisi enim prius Angelus corruisset, nunquàm humana natura eo instigante Dei mandata fregisset. **D O M.** Libenter assentior: sed rogo te, vnde tanti mali corruptio in natura Angelica originem duxit? cùm enim fuerit bona ab optimo Deo creata, quis eam quæso corrupit? **R A E M.** Tantæ sublimitatis est Angelica natura, quòd à nullo potuerit ad casum persuaderi. Peccauit igitur sua propria instigatione permota, nullo docente, nullo monstrante. Occasio autè huius ruinæ ista fuit. Spiritalis etenim natura cùm esset creata in summa dignitate, nobilitate, sublimitate, & pulchritudine, haberetq; liberũ arbitriũ admodũ purũ, altũ, & ingenuũ: idcirco habuit magnã occasionẽ superbiendi, & in semetipsa oblectãdi, se admirãdi, se diligendi: sed vbi horũ occasio maior est, & ruina propinquior. Primus igitur Angelus, & multi cũ eo, statim vt fuerũt creati, cõtempta diuina maiestate, & pulchritudine, cœperũt propriam



propriã amare volũtatẽ, propriã pulchritudinẽ, & honorẽ, & ita vt amentes atq; erratici peccauerunt, & ceciderunt, & à Dei cõsortio proiecti sũnt. Sic itaque primus angelus cũ esset omnium pulcherrimus, & nobilissimus, spreto maximo creatore, priuatum cœpit amare decorem: & seipsum Deum statuens, propriam veneratus est altitudinem, propriam amplexus volũtatem, & proprium in alijs ambiuit honorẽ. Acque hoc modo cũ nunquam Deum amauerit, nõquam veneratus sit, sed semper se ipsum superbissimẽ dilexerit, idẽ factus est inordinatus, peruersus, iniustus, Deo contrarius. Habuit enim semper à die qua conditus est Amorem proprij honoris, laudis, & excellentiã, cupiens iniustissimẽ omnibus dominari, omnibus anteferri. Et quidẽ si non superbisset, omnibus illũ Deus prætulisset agminibus Angelorũ: idcirco enim tam sublimis, ingenuus, & decorus præ cæteris conditus fuerat. Verũ quia abiecto Deo propria gloria delectatus est, cũ esset creatura recenter Dei manu de nihilo producta: idẽ summam iniuriam, offensam, & rapinã fecit conditori suo, se Deum faciẽs, se colens, & coli atque adorari ambiens. Et quia amor cõuertit Amãtem in rem primò amatã, idẽ hĩc primus Angelus totus conuersus.

uersus est in suam propriam voluntatem,  
 quã semper sequitur, semper amplectitur,  
 & nullam aliam: & ideo quicquid semel  
 vult, semper vult, & propria auctoritate vult,  
 estq; obstinatus in sua voluntate; vt in eter-  
 num aliud velle non possit, nisi propria vo-  
 luntatem: Idcirco odit summopere omnem  
 voluntatem suã voluntati resistentem, at-  
 que ideo vehementissimè Deum odit, &  
 execratur, & Dei volũtati quantum potest  
 resistit, & contradicit. Verũ quia nunquã  
 potest Dei voluntatẽ impedire, ideo sæuir,  
 fremit, indignatur, & sua apud se malitia  
 contabescit. Porro omnes illi Angeli, qui à  
 principio huius Luciferi improbis ausibus  
 fauerunt, & superbix cornu dederunt pec-  
 catori, sub eius voluntate, principatu, atque  
 imperio redacti sunt, & huius pestiferi ca-  
 pitis mēbra effecti, nihil aliud possunt aut  
 velle, aut amare, quàm quod ille concupi-  
 scit. D O M. Ex his, quæ nunc, dicis, duas pa-  
 lã voluntates primas intelligo, multũ in-  
 ter se discordes, & longissimè inter se distã-  
 tes: quarum vna est, Voluntas eterna, & alia  
 Voluntas Luciferi noua, quæ mala est, &  
 primò mala, non Deo sic eam creante, sed  
 illo operante. Ad has duas primas vo-  
 luntates omnes aliæ reducuntur. Si enim  
 sunt bonæ, vadunt ad voluntatem Dei: si  
 malæ,

malæ, sub voluntatem cadunt Luciferi. He autem contrariæ geminæ volūtates geminum constituunt exercitū continuè contra se pugnante, & se mutuò sternere cupiente, vterq; fortis, vterq; terribilis, sicut castrorum acies ordinata. Quotiens tamen Rex cœlorum cum sua militia vincere voluerit, necesse est vt vincat, & partem subruat inimicam. R A E M. Debes tamen nosse bonorum exercitum Angelorum caput proprium non habere, quod in Lucifero corruente perdidit: Deus enim non potest esse suæ caput creaturæ: idcirco necessariū est, vt Deus bonis Angelis nouum caput constituat, de quo suo loco dicemus. Tu tamen diligenter notato quale hoc caput futurum sit. D O M. Faciam quod hortaris, Inserè tu, quod cœpisti, prosequere.

*De magnitudine malitiæ, & corruptionis in primo angelo, & malo eius culpa, & pœna.*

C A P.

L I J.

R A E M V N D V S.

**S**oluta est (ni fallor) quæstio tua, qua quærebatur, vnde tanti mali corruptio in Angelicam potuerit subingredi creaturam. Nunc de magnitudine huius corruptionis pauca dicamus. Quando res aliqua permutatur

mutatur in contrarium suæ naturæ, necesse est vt ascendat ad tantū malitię gradum, quantus erat ipse gradus bonitatis, vel esse poterat. Et quãtò res quæ peruertitur est melior, altior, nobilior, tãtò peior efficitur, vilior, & malignior. Quia igitur Lucifer inter omnes Angelos erat longissimè melior, clarior, pulchrior, sapiëntior: idè postquam sua se superbia corrupit, factus est omnium infimus, pessimus, turpissimus, obscurissimus, vilissimus, amentissimus. Et talis omnino effectus est, qualis est, & sua voluntas peruersa, inordinata, cæca, superba, maleuola. Hanc autem voluntatem quia semper ipse diligit, idè nõ diligit nisi omnem malitiam, turpitudinem impietatē, scelera omnia, atq; peccata. Hinc execratur summopere omnem iustitiã, fidem, pietatem, virtutem. **D O M.** Vtinã tam deformem nobis hũc scelestissimum tuo depingas sermone, quo eum deinceps acriter aspernemur. **R AB.** Verũ quia hĩc superbissimus intellectũ habet altissimũ, & post Deũ summè subtilem, qui semper cũ sua voluntate concordat: idè inflectit illum ad inueniendas novas artes, novas deceptiones, fraudes, mēdacia. Et quia ipse est mendax, & mendacij pater: idè inquirit falsas quotidie persuasiones, cautelas, ten-

p tationes,

tationes, & per mille meandros inferpere nititur cordibus electorū, anguis lubricus, & immūdus. **P O.** Miror si hūc pestifer hāc tantam suā mālitiā ipse non videat. **R A E.** Planè non videt, propria mālitiā & excæcatus, & obduratus. Amor enim suæ nequitix ita illi cordis oculos obducit, vt sua infinita scelera nō videat, nec propriā corruptionē, aut turpitudinē intelligat, quò vel dolere possit, vel pœnitere. Atq; ideò semper quotiēs aliquid quod nolit, patitur, cōtra Deū murmurat, Deū maledicit, atq; blasphemat. **P O.** O' funestissimū omniū mālitorū caput, & principem omniū vitiorū, omniū tenebrarū, & omniū scelerum ac turpitudinum inuentorē. **R A E.** Agnouisti nūc quale sit in Lucifero malum culpæ: vide nunc malum pœnæ. Qui enim malum cōmisit voluntariū, debet & malum inuoluntariū sustinere. Fuit enim creatus à Deo, vt si in bonitate natiua p̄sisteret, ad summā felicitatē trāsferretur: ita postquā sua se sponte corrumpit, multa illū calamitas est consequuta. Primò irremediabili exilio à Dei visione, à Dei pace, à Dei bonitate reiectus est. Secundò, à summo cœlo expulsus, in caliginosum hunc aërem, quasi in quodam carcere, cum suis satellitibus relegatus est. Tertiò, post hūc carcerem temporalem in  
profund

profundissimum infernū, æterno igne cruciandus, præcipitabitur. Licet enim ad hos ignes Dei iudicio cōdemnatus sit, nondum tamen sententiæ executio est cōsummata. Alioquin nec primos parentes aut tentare, aut contra Deū instruere potuisset. Quæritō est intra se vehementer inordinatus & incōpositus in omnibus cogitationibus & desiderijs suis, horridus, amēs, turgidus, inflatus, asper, immitis, furibundus, sine pace, sine quiete, sine scedere, semper cupiens suā voluntatem nequissimā adimpleri: & quia ad efficere non potest, in summa mœstitudine vitam agit, & indignatione. Et licet interdum de malo perpetrato aliquantulū gaudeat, tamen rursus de maiori bono cōtristatur. **D O M.** Reuera ingens huius bestię calamitas, & idē amarissima, quia perpetua. Nec minus miseri & infelices sunt, qui huius pestiferi capitis membra fiunt.

*Homines qualiter incorporantur cum Luciferō, & sunt membra eius.*

C A P. LIII.

R A E M V N D V S.

**D**ICTū est paulō antē, quod nō sunt nisi duæ Voluntates primæ inter se plurimum contrariæ. Vna est voluntas Dei,

p 2 & hæc

& hæc est cōmunis in omnibus bonis angelis & hominib<sup>9</sup>. Alia est Volūtas Luciferi mala, & hæc cōmunis est in omnib<sup>9</sup> peruersis Angelis & hominibus. Et quia omnis volūtas prima, inquantū prima, nulli subijcitur, sed facit ex seipsa tuum regnū & dominiū, & habet suas leges, & instituta: ideo non sunt nisi duo Regna, Regnum scilicet Dei, & Regnū Luciferi. Et quia hīc Lucifer propria volūate & virtute vult dominari, ideo tanquā Deus in omnibus suū querit honorē, se vult coli, se metui, se adorari. Atq; ideo omnia illa diligētes inquirat, per quæ potest maximè venerari, Dei cultum impediēs, & Dei regnū. Videns itaq; primū hominē in paradiso vitā feliciter agentē, Deū colentem, & amantē, & cœlestia post hæc regna præstolantē, tactus inuidia cordis intrinsecus, hominem cœpit tentare, discurrere, instruere, offerre plurima, & plura promittere. Nec antè destitit improb<sup>9</sup> exactor, auarus prædo, donec hominē sponte illectū Dei inimicū efficeret, & suis eū legibus & volūtatibus subiugaret. Hoc modo captiuauit hominis voluntatem, quæ eam remouit à Dei præcepto, & suis obsequijs irretiuit. D. O. Meritò hinc factus est homo mancipium & membrum diaboli. A quo enim quis superat<sup>9</sup> est, huius & seruus est.

est. R. A. M. Debes tamē agnoscere, quòd aliter Angeli mali sunt sub dominio Luciferi, & aliter homines. Quia inter Angelos nullus habet propriam voluntatem à volūtate Luciferi separatā. Et idè inter eos nulla est discordia, nulla lis, nulla rixa, sed omnes unanimiter cōplere satagunt sui principis volūtatem. Porro homines aliter sūt membra maligni dæmonis. Quilibet enim homo malus habet propriam ex se voluntatem, & tot sunt diuersæ voluntates, quot homines. Inde tot inter homines iurgia, tot quotidie lites, & contentiones. Omnes tamen hæ voluntates, quia malæ sunt, signo Luciferi consignatæ sunt, & ad suam militant voluntatem. DOMINICVS. Intellego planè, his enim prauis hominū voluntatibus diabolus se immiscet. Et quia gaudet in rebus pessimis, idè mouet hominem contra hominem, gentē contra gentem, & regnum aduersus regnum. Huius instinctu fiunt homicidia, stupra, adulteria, veneficia, sortilegia, & mille omnium generū scelera. R. A. B. Ita est sanè. Vititur enim iste malignus hominū impiorum voluntatibus ad sua nequissima desideria: & quòd ipse per suos Angelos compellere non potest, hominū peruersorū ingenijs deducit in actū. Sicut enim eques frē



no iumentū, cui infidet, vbi voluerit impiis  
git: ita diabolus quasi quodā persuasionis capti-  
stro hominū mētes (quibus præsudet) in sua  
vota perducit. Postquā igitur homo à Deo  
inobediēdo recessit, diaboli in mētū factus  
est, velit nolit illi obediēs, illi seruiens sub-  
tributo. **D O.** O' miserissimam hominis fer-  
uitutem multis descendā lachrymis, qui in  
latrones incidēs, spoliatus est omnibus bo-  
nis, & nō solū captiuus adductus, sed etiā  
captiuus captiuorū effectus est. Plura dice-  
rē, sed me lachrymę gemitusq; prępediūt.

*De multiplici carcere, & captiuitate collapsi  
hominis.* CAP. LIIII.

R A E M V N D V S.

**E**Go quoq; non minus quā tu lachry-  
mabiliter mœstus conceptum sermo-  
nem retinere non pręualeas, quod tu subti-  
ses, ego aperiam. Triplicem hominis carcerem  
debemus agnoscere. Primus est, carcer  
Corporalis, vallis hæc lachrymarū, in quo  
de amœnissimo paradyso proiectus iacet.  
Potest etiam hoc mortale corpus caducū,  
& miserum, meritò etiam carcer appellari,  
in quo anima languida & moribunda im-  
plicata retinetur. Secundus carcer, est Spiri-  
tualis, ipsa scilicet voluntas diaboli, quę est  
carcer vniuersalis, in quo recluduntur om-  
nes impię volūtates, vt nequeāt operari.

nisi

nisi ad luciferi voluntatem. D O M. In hoc carcere (si non fallor) & ipse Lucifer implicitus tenetur, vt stultus innectatur vinculis suis. R A E M. Nihil verius. Tertius carcer est ipsa propria hominis voluntas, in qua ipse homo compedibus astringitur, vt sese ad bonum mouere nō possit. Nulla certe maior est, & crudelior captiuitas quā proprię voluntatis. Hęc est illa insatiabilis vorago, & inexplebilis charybdis, quę in infinitum sua desideria tendit cumulata, à Dei voluntate recedēs, per tot spargitur concupiscentias, quot se res offerunt, quę poterant concupisci. D O M. O' quàm salutiferum esset homini sub Dei voluntate mansisse: iam enim haberet summam in sua patria libertatem, nullam nunc sciret aut mortem, aut corporis miseriam, nullam horum carcerum sentiret angustiam, nullam experiretur Dei indignationem, siue vindictam.

*Corruptio liberi arbitrii, & ipsius carnis, contrario modo se habet in primis parentibus, & in posteris.*

C A P.

L V.

R A E M V N D V S.

**H**umana natura diuiditur in duas partes, in primos scilicet parentes, & in  
 p 4 suos

suos posteros. Primi parentes nō sunt propagati, sed Dei manu conditi. Tota autem posteritas carnē quidē propagatione sumpsit ab Adam, sed animā creando Deus infudit carni propagatæ. Quia igitur carne ab Adam descēdit tota posteritas, sequitur, quōd omnis corruptio, quæ in posteris inuenitur, de carne corrupta venerit protoplasti, & hæc corruptionis diuersitas. Ille enim corruptionem carnis traxit de corruptione superbissimæ voluntatis: nos autem qui posterī sumus, de carnis corruptione animarū nostrarū maculas possidemus. Illius carnem corrumpit contumacis animæ inobedientia, nostrā animā commaculat miserabilis, & infirma caro, de foetendi libidine per propagationem generata. Omnis enim caro humana quæ per coitum fœdæ libidinis generatur, infirma est, sordida, caduca, mortalis, & rationi rebellis, plena concupiscentiarū, & malorū motuum. Et ideo anima rationalis, quæ tali carni sociatur, cōtinuō inficitur, peruertitur, corrumpitur, sordidatur, non aliter, quàm si balsamū purissimum turpissimo vasi infuderis. Hanc corruptionem contractam à carne anima manifestat quando vti incipit libero arbitrio. Tunc enim inuenitur Deum ignorare se & sua bona, & mala nescire, suam

amare

amare voluntatem, & Dei iussa contem-  
 nere. D O M. Duos ex his quæ dicis animæ  
 status accipio. Vnum quæ habet ante vsum  
 arbitrij, in quo propter corruptam carnem,  
 sui iungitur, iã est immunda, turpis, & Deo  
 odibilis, licet nihil sua sponte peccauerit:  
 cui tamen hæc immūditia imputatur pro-  
 pter carnem primi patris corruptã, cui in-  
 hæret. Alium statū habet anima post vsum  
 liberi arbitrij, quod quæ prius à carne vitia-  
 tum est. idè ipsa anima propria voluntate  
 actualiter malum agit, & nõ potest nisi ma-  
 lum agere, & Deo rebellare. Et idè effici-  
 tur multò deterior, & turpior, quã fuerat  
 antè. Si eam potuit inquinare, & ream face-  
 re, crimen originale, & inuoluntarium: mul-  
 tò magis rea erit propter actuale malum,  
 quod voluntariè cõmisit. Sed dic mihi ob- Nota  
 secro, quare Deus, qui iustissimus, & clemẽ quomo-  
 tissimus est, animam ream tenet propter dõ origi- -tis-  
 originale crimen, quod voluntariè non cõ- -nale pec-  
 traxit? R. A. E. Reum quidem tenet, inuolun- -catū ho-  
 tario tamen malo non punit. Quia nemo minẽ reũ -taria  
 debet pœna inuoluntaria puniri, nisi volun- -facit.  
 taria culpa deliquit. Separatur tamen talis  
 anima æternaliter à cõsortio Dei propter  
 originalem maculam, & mortiferã, quam  
 ab Adæ carne contraxit. Et in hoc vide di-  
 strictissimam iustitiam Dei, quæ animæ

ignoranti malum imputat, quod sponte nō fecit. D O M. Sed quare Deus animā mundissimam corpori infundit, quam nouit sordidandam esse, atque corrupendam. R A E. Quōd anima corrumpitur, atq; etiā post corruptionem à Dei consortio separatur, nullatenus, est bono Deo imputandum, nec est cōtra Dei iustitiam, si malum culpæ transmittatur ad posteros. Hæc est enim inter Deum & hominem facta constitutio, vt homo per coitum carnem gignat, & Deus genitæ carni animam infundat. Sed postquā primus homo suū corpus inobediēdo corrumpit, & per tale corpus corruptum fit aliorum corporum propagatio: Et sicut corpora, ita & corporū vitia transmittuntur. Licet igitur homo suum opus corruerit, Deus tamē propositum ordinis sui mutare non debuit: quamuis enim caro sit Dei iusto iudicio punita, hoc est caduca, & corruptibilis facta, propter hoc tamen primam cōstitutionē Deus violare noluit, quin semper propagatis corporibus, licet vitiatis, animas mūdas infundat, quibus dū sociatæ fuerint, maculas contrahunt, & ruinas. Ista igitur ruina non Deo imputanda est, sed infecto, & pestifero corpori, quod à ruinosa & corrupta carne primi parētis descendit, de cuius peccato quicquid maleuolam

lum, vel miserum, in anima, & carne posteritas patitur, originem duxit. D O M. Sed nunquid ipsa propagatio, seu generatio, de se transmittit in posteros ipsam quam cernimus vtriusque hominis corruptionem? R A E M. Non ipsa generatio, sed generationis libido, quæ generationi de communi lege ruinæ coniungitur. Nam ante peccatum fuisset vtrique propagatio; sed libido nulla fuisset. Cerne nunc, mi Dominice, miserabilem hominis corrupti tragœdiam, luctu, & lachrymis plenam. D O M. Vidi fætor, optime magister, & inconsolabili dolore percussus sum, nec vllatenus potero respirare, nisi ostenderis mihi, quibus remedijs tam ingentia poterunt hominis mala reformari. R A E M. Animæ quior esto, in proximo est vt consolereis. Verùm quia

cernis prandij horam instare,  
quæso vt vsque post meridiam præstoleris.

D O M I N I.

Parco libens.

✱

## S E X T V S

D I A L O -

G V S.

*De Reparatione lapsus humani: et  
quòd per vnum omnes  
consurgimus.*

*Qualis, & quàm magna sit hominis obli-  
gatio pro iniuria & offensa Dei.*

C A P. L V I.

R A E M V N D V S.



**P**RIVS QVA' M loquamur,  
quomodo possit collapsus, &  
còtractus homo reparari, ne-  
cesse est dicere, de magnitudi-  
ne offensæ, & maxima obliga-  
tione iniuriæ quâ homo proteruus, & ino-  
bediens, in Deum maximum perpetravit.  
Tûc primùm tibi sapiet magnitudo, & dul-  
cedo remedij, cùm magnam ægritudinis  
acerbitatem agnoueris. D O M. Rursum (ut  
video) me ad lachrymas mittis. R A E. Ita  
omnino necesse est. Nunquàm nec humi-  
lis, nec gratus tuo medico fies, nisi ægritu-  
dinis tuæ morbum ad liquidum depræhen-  
deris. Non putabis medicum tibi opportu-  
num fuisse, nisi dum vulnerum tuorum de-  
speratam putredinem intuitus fueris. D O.  
Si

Si sic necesse est, facito vt voles. R. AB. Vt magnitudinem culpæ atque offensæ agnoscas, oportet te nonnulla animaduertere. Primū est, quòd omnis offensa tãti est estimanda, tantumq; ponderanda, quanta est ipsa quæ offenditur persona. Cum igitur sit Deus infinitæ maiestatis, sapientiæ, & bonitatis, idè iniuria in Deum commissa est peccatus infinita. D. O. M. Hinc palàm intueor, quòd qui Deum offendit, obligat se ad infinitam atq; interminabilem poenam. R. AB. Secundum est, Nam ex quo iniuria in Deum commissa lædit, ac destruit, quantum ex se est, honorem, & gloriam Dei, qui est infinitus; idè talis in homine contemptus, sit infinitus, & ad infinitam obligat amaritudinem. Tertium, si homo compleisset in obseruatione mandati voluntatem Dei, infinitum bonum, & meritum interminabile meruisset; qui enim facit quod præcipit Deus, obligat Deū sibi, vt præmium referat infinitum. Igitur quando homo facit quod prohibet Deus, obligat se Deo ad demeritū, & ad supplicium sempiternum. Faciendo itaque quod odit atq; aspernatur Deus, plus operatur de malo, quàm Deus illi operatus est bonum. Nam Dei munera, quamuis maxima, tamen finita sunt: sed malum culpæ, quod perpetrat in Deum homo, est infinitum.



infinitum. D O. Colligendo ea quæ supra  
 dixisti, cū his quæ nunc dicis, duas hominis  
 obligationes esse considero. Vna est natura  
 lis, quæ causatur de Dei beneficijs acceptis,  
 per quam astringitur homo dare Deo quic  
 quid inuenit in se amoris, reuerētiae, laudis,  
 & honoris. Hæc obligatio & bona, & perpe  
 tua est. Alia obligatio est, quam fecit homo  
 pro malo culpæ, quod operatus est, & pro of  
 fensa in Deum commissa. R A E M. Bene  
 consideras: sed hoc debes etiam nosse, quod  
 homo hac secunda obligatione implicitus  
 primam soluere non potest. Impossibile est  
 enim, vt homo criminibus irretitus, & Dei  
 inimicus, reddat Deo debitum dilectionis,  
 honoris, & laudis: quod tamen pro susceptis  
 beneficijs reddere continuo tenetur. Vides  
 igitur quàm nocua, quàm maligna hæc ob  
 ligatio sit, quæ primam impedit vt reddi  
 non possit. Hæc præterea obligatio aliam  
 de se generat omnino funestissimam. Nam  
 qui mortali peccato obligatus est, à pecca  
 to perpetrando se continere nō potest. Qui  
 enim facit peccatum, seruus est peccati: qui  
 autem seruus est, vt peccato obediat neces  
 se est. Vno igitur peccato commisso, impelli  
 tur continuo homo vt secundū, tertium, quar  
 tumq; committat: vt qui malus est, malus fiat  
 adhuc: & qui sordidus est, sordescat ad  
 huc.

huc. D O. Hæc tertia est omnium pessima obligatio, quæ in extremam calamitatum miseriam hominem præcipitem facit. Hinc iã patet, quàm summè malignum fuerit illud primum originale peccatum. Adq; quod nos in tam pessimas obligationes, & mille misérias detrusit. R A E. Verè malignū, & totis animi medullis execrandum, quod ex his rationibus poteris intueri. Primò, Sicut nihil dignius, nihil præstantius libero arbitrio, ita nullū malum peius est, & detestabilius, quàm culpa, & corruptio voluntatis, atq; arbitrij. Quādo igitur per inobedientiæ culpam destruxit liberum arbitrium, tunc illud destruxit, quod erat in rerum natura omniū præclarissimū, pulcherrimum, nobilissimum. Secundò, Omnes creaturas sub homine Deus constituit propter liberum arbitrium, quod dum homo violauit, violauit etiam vniuersum creaturarum ordinē, & rerum omniū pulchritudinem sua deformitate fœdauit, & quantum in se fuit frustraui totū vniuersum debito fine. D O. Hac suæ corruptione ( vt video ) nisus est Dei honorem, quem de rerum institutione promeruit, vacuare. Quod malum quia voluntariè admisit, idèò maximam offensam constituit. R A E M. Verùm dicis, sed & perdendo seipsum vacuauit Dei optimam inten-

intentionem, vt nihil vltra valeret: nec posset iam corruptus in illum beatitudinis æternæ finem perducere, ad quem illum condiderat Deus. **Quartò**, Consentiendo Dei maximo inimico, & sua vota complendo, quem ex sua persuasione Dei hostem ignorare non poterat, audiuit enim eum contra Dei mandata loquentem: huic igitur consentiendo, qui Deum mendacè nitebatur asserere, summam Deo fecit iniuriam, & despectu suo postposuit inimico. **Quinto**, Non solum semetipsum perdidit, & Dei seruitio subtraxit, diabolicæ se mancipans seruituti: sed & totam posteritatem suam diuinis subduxit obsequijs, & sub Luciferi posuit potestate. An hæc tibi crimina parua videntur? **D O M.** Imò verò maxima sunt. Sed quæso te, quousque animam meam tollis: quare non dicis mihi, quibus remedijs tanta poterunt mala sanari? Homo ad Dei imaginem conditus, corpus & animam perdidit, mille se vitijs inquinavit, odium sui creatoris incurrit, non solum paradysum, sed & cœlum (cui creatus fuerat) amisit, & sub dira diaboli potestate dolitescit. Quis tantis malis afferat medicinam?

\*

**homo**

*nemo infinita indiget satisfactione, quæ  
nisi per infinitam personam solui  
non potest.*

CAP.

LVII.

R A E M V N D Y S.

**Q**Via igitur mala hominis maxima sunt, idèò maximis remedijs opus habent. Et quia culpa in Deum commissa est infinita, idèò & infinito indiget expiatore. At quoniam culpa est infinita, idèò meruit & infinitam pœnam: & hanc quoque necesse est expiare, si debet homo in statum quem perdidit reformari. Ad omnem enim culpam, aut punitio sequitur, aut satisfactio. Si igitur homo vult destruere culpam quam admisit, & pœnam euadere quam promeruit, oportet quòd tam magnum operetur bonum, vt vincere possit malum, quod prius nequiter perpetravit. Vt igitur recuperet homo perfectam subcreatoris amicitiam, necesse est vt reddat illi pro obligatione infinita satisfactionem infinitam, & hoc cum tanta faciat humilitate, quantum antea superbiuit. Oportet igitur quòd talis satisfactio sit voluntaria, libera, amorosa, de intimis cordis medulis erumpens, dulcis, iucunda, salutifera. DOMINICVS.

Quis hanc quæso satisfactionem poterit operari? Nunquid homo captiuus, carcera-

q tus

tus, mille vulneribus saucius, Dei aduersarius, daemoneis amicus? Sed nunquid Angelus, qui cum finita persona sit, tollere poterit malitiam infinitam? Nunquid Deus id efficere volet, qui ab homine turpiter inhonoratus, despectus, & offensus est, & sub Dei odio constitutus. Cum enim Dei iustitia exasperata sit, quomodo eam nequitiam volet expiare, quam debet merito punire?

R. A. B. Multum laboras, multum anxius es. Sed nunquid humiliavit ex corde suo, & abiecit filios hominum? Nunquid oblitiscetur misereri Dominus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Nunquid hominis malitia Dei bonitatem euacuat? Absit. Cōcludamus igitur, quod ex quo illud, quod homo soluere tenetur creatori, malus sit, quam quicquid est citra Deum, & hoc non est nisi Deus: clare sequitur, quod nullus potest hanc satisfactionem operari, nisi solus Deus. Intellige quae dico, nullus potest soluere nisi Deus, & nullus debet nisi homo. Oportet igitur qui hoc bonum operaturus est Deus, sit, & homo. Debet ergo Deus, & homo in vnā conuenire personam, ut Deus sua bonitate hominis miseriam expiare velit, & homo possit. Nisi enim Deus homo fiat, & homo Deus, ruina hominis non poterit subleuari: Haec autē persona cum sit infinita, habet

et, habebit in se aliquid, quo citra Deum nihil est maius, quod sua magnitudine, & dignitate deleat omne debitum, & omnem compleat satisfactionem. D. O. M. Quantum ergo concipio hæc persona infinita cum Deus sit, nihil pro sua culpa debebit creatori: atque idem exolvere poterit pro his omnibus, qui non possunt reddere quod debent, quia non habent. Non est igitur extra hanc personam spes vlla salutis, quæ potest habere meritum infinitum, & duplici ratione iram offensæ iustitiæ mitigare: primo, quia Deus est: secundo: quia homo diuinus est. Ratione primi efficacissimè reconciliare potest: ratione secundi meritum infinitum adducere potest, quo Deus infinitus mitigetur, & culpa infinita remoueat.

*De conditionibus, quas oportet habere hanc personam infinitam pro nostra satisfactione.*

C A P.

L V I I I.

R A T I O N E S.

**O** Primè hoc mysterium concepisti: veni ut melius cuncta cognoscas, dicam tibi aliquas conditiones, quas necesse est hæc persona habeat, si debeat ad liquidum Deo hominè reconciliare. Prima est: oportet eum esse de genere hominis istius, qui ad peccata

q. 2. obliga-

obligatur immensam, nec fit de nouo vt Adam formatus. Alioquin nisi pertinuerit ad genus humanum, hominis offensam delere non poterit. D O. Meritò id sequitur: nam sicut ab homine obligatio venit, ita & ab homine venit satisfactio: & tali homine, qui de progenie sit eius, qui peccauerit. R A E M. Oportet secundò, quòd talis homo mūdissimè, sine libidine, sine coitu concipatur. Cùm enim genitalia membra sunt inobedienciæ membra, vt suprà patuit, per quæ in omnes homines corruptio & rebellio venit: idèd iste homo, qui inobedienciã omnem, & corruptionẽ remouere tetetur, genitalibus membris gigni non deber: alioquin simili cõtatione pollutus pro alijs satisfacere non poterit. Corpus igitur huius viri debet manu Dei de carnis superbia in utero mulieris formari quæ sit quidem de genere Adã, sed tamen purissima, & sanctissima, & integerrima virgo. Et sicut vir iste in utero virginis nõ per vuluam venit, ita ab utero nascetur genitali membro integro permanente, vt ipse filius sit castissimæ virginis, & ipsa ante partum, & post partum virgo perduret. D O. Cùm igitur vnã in trinitate personam incarnari dicimus, quam harũ esse arbitramur, Patrem ne, an Filiũ, an Spiritum sanctum? R A E. Non aliam vtique,

vtique,quàm filium;vt qui filius est in diuinitate,in humanitate quoq; filius sit:& qui habet patrem solum in cœlis,solam habeat matrem in terris.Tertia conditio est,quòd vir iste sicut habet humanum corpus,ita & humanam habeat animam necesse est.Alioquin non esset idoneus qui posset redimere.Quarta:quòd sit homo mortalis dispensatiuè,qui sua morte nostrâ possit mortem destruere. Licet enim vir iste debeat Deo omnium conditori summum amorem,reuerentiam,gloriam,& honorem,morti tamen non est obnoxius.Cùm enim innocentissimus sit,non potest iustè ab illo Deus mortis exigere pœnam,in quo nullam inuenit culpam. Solum igitur quod sanctissimus iste Deo non debet, est mors ipsa:quam si spòte,& ex mero Amore Deo obtulit,tradideritq; in mortem animam suam, quæ nimium est Deo chara,& pretiosa,cùm sit omnium terribilissima, & difficillima, fiet plenissima satisfactio pro mortibus peccatorum:& vna mors innocentissima, & voluntariè assumpta,mortes multas & innumeras expiabit. D O. Intellego hunc propitiatorem generis humani oportere esse mortalem:alioquin mortem debitam tollere non posset.Pœna enim infinita iustissimè merita nō potest nisi innocentissima,&



pretiosissima poena damnari. R A E M. San-  
 ctissimus est conceptus tuus. Hinc iam quia  
 tam conditionem intellige, oportere hunc  
 optimū virum non solum mori pro Dei ho-  
 nore, & hominis vtilitate, sed etiam liben-  
 tissimè, & deuotissimè, & intimis animi me-  
 dullis mortem appetere, & suscinere. Opor-  
 tet igitur q̄ vir ille sit summè benignissi-  
 mus, summè dulcissimus, & erga collapsum,  
 & miserū hominem maxima compassione  
 & pietate cōmotus, vt magis ipse amarissi-  
 ma deligat morte perfungi, quā hominem  
 suæ consortem naturæ æterna sinat morte  
 perire: magis cupiat hominum salutē, quā  
 propriam vitam retinere. Necessè est igi-  
 tur, vt non respiciat ad hominum malitias,  
 offensas, crudelitates, sordes, nequitias: ma-  
 gis autem consideret, quōd homines sunt  
 Dei imaginem portantes, miseri, calamito-  
 si, cæci, pauperes, & mille incommodis cir-  
 cūsepti. Non debet igitur homines malos  
 odisse, sed cōpati, flere, ingemiscere, & sua-  
 mitissima lenitate, sua quoq; bonitate dul-  
 cissima omnē nequitiam vincere, omnem  
 crudelitatem superare, omnem offensam, &  
 iniuriam æquanimiter perferre. Oportet  
 igitur vt omnes sibi contradicentes, & occi-  
 dere volētes, diligat, foueat, amplexetur: cuius  
 inuēsa bonitas omnē sponte remittit,  
 inu-

iniuriam, & ad nullam respiciat inolemen-  
 tiam. P O M. Non contineo lachrymas præ  
 amore, & dulcedine verborum tuorum. Ve-  
 rè magna huius dulcissimi viri benignitas,  
 & charitas immensa, quòd talis, tam iustus,  
 tam sanctus, innocens, impollutus, mori ve-  
 lit pro hominibus malis, impijs, ingratis-  
 simis, & omni pœna dignissimis. Multùm  
 re vera humana natura gaudere debere, si  
 talem, & tamverè suavem posset hominem  
 reperire. Sed rogo te, qua occasione poterit  
 homo iste pro Dei honore occidi? Nūquid  
 perimet semetipsum?

*Qualiter homo iste poterit occidi ad Dei  
 honorem, & quis eum occidet.*

C A P.

L I X.

R A E M V N D V S.

**N**ON utique perimet semetipsum: Tale  
 enim opus nec Dei iustitiam opera-  
 tur, D O M I N. Quomodò ergo poterit vir  
 tantæ dulcedinis, & bonitatis occidi? R A E-  
 M V N. Veniens in hunc mundum inue-  
 niet homines corruptos, malos, contra iu-  
 stitiam, contra naturam nequissimam vi-  
 tam agentes, propriam amantes voluntatē,  
 propriam laudē, & gloriā consecrantes. At  
 quoniā vir iste erit summè bonus & optimo  
 viuēdi genere perfectissimus: idè necesse

q 4 erit,

erit, vt verbis, & exemplis impugnet malorum hominum vitam, scelera corripiat, opera iniusta castiget. Verū quia veritas odiū parit, hac tali iustissima increpatione multorum contra se inuidiam concitabit, qui eum ad mortem vsque iniustissimè persequentur. Ipse verò indeclinabilis iustitię, & æquitatis semitas tenens, nec mortis discrimina pertimescens, magis eliget ab illis occidi, quàm Dei iniuriam dissimulare, aut turpissimas nequitias non arguere. Hoc pacto dabit efficacissimum exemplū imitatoribus suis, vt magis velint mortem eligere, quàm aut Dei iustitiam deserere, aut hominum sceleribus assentire. Iste igitur optimus hominum, licet mala impiorum voluntate perimendus sit, spontanea tamen, & deuotissima mente ad Dei laudem, & hominis vtilitatem, hanc mortem intrepidus sustinebit. **D O M.** Non possum satis mirari, quomodò tanta poterit in hominibus crudelitas inueniri, vt virum mansuetissimū, & fructuosissimum velint occidere. Vnde quæso tanta inuidia, tanta poterit malitia generari? **R A E M.** Dicam breuiter: Genus humanum, sicut nosti, deceptū, captiuumq; detinetur sub potestate nequissimi Luciferi, qui suum in hominibus quærit honorē, laudem, & magnificentiam. Iste autem no-

tus homo nouam hominibus doctrinā præ  
 dicabit, & noua omnia, quæ ad Dei hono-  
 rem, & hominis ereptionem pertinent, opẽ  
 rabitur, quò diaboli regnum in hominibus  
 destruat, & conuellat. Nisi enim summis vi-  
 ribus pugnet contra Luciferi pertinaciam  
 atq; superbiam, irretitum hominem nõ po-  
 terit liberare. Cernens igitur serpens anti-  
 quus talem, tamq; potẽtem contra se nouũ  
 hominem insurgere, & in quem nullam ha-  
 beat potestatem, nec per se lædere illũ pos-  
 sit, nec cohibere, ne prædam diu possessam  
 amittat, collectis viribus, huic hominĩ se  
 obijciet, struens per membra sua infidias,  
 fraudes, persecutiones, & mortes. Maxima  
 itaq; inuidia concitatus, quosdam nequissi-  
 mos homines inflammabit, qui spiris serpẽ-  
 tinis accensi hunc velint hominẽ perime-  
 re, & penitus eradere de superficie terræ.  
 Sed nihil proficiet crudelissima malignatio.  
 nam omne commentum Luciferi in suum  
 caput retorquetur. Nam ex quo hunc iu-  
 stissimũ hominẽ occiderit, in quo nihil iu-  
 ris habet, & illũ morti addixerit, qui nihil  
 penitus morti debuit: iustẽ omne ius quod  
 in humano genere habere videbatur per-  
 det, quia chirographũ cui innitebatur exces-  
 sit, ab illo exigẽs pœnam, in quo nullã re-  
 perit culpã. D O M. Hinc clarissimẽ intelli-

go, quomodo iste vir maximus. dæmonis fraude ad Dei gloriam occisus diabolum suis vinculis irretipit, & captiuum sub suo dominio retentabit. Ut qui primum hominem fraude decepit, per secundum hominẽ subiugatus sit, & quicquid per casum Adæ lucratus est, huius industria totũ amittat,

*De conditionibus, & circumstantijs quas hæc mors pretiosa est habitura.*

C A P.

L X.

R A E M V N D V S.

**A**T quoniam satis iam nosti, quod hæc mors pretiosa huius mitissimi, & maximi viri est humano generi summè necessaria, idèò quas circumstantias, vt magis nobis fructuosa fiat, sit habitura, debes aduertere. Primò, cū vir iste omnium dulcissimus, sit ex mera ad nos miseris compassiõe moriturus, idèò mors eius erit omnino spontanea, deuota, amore & charitate plenissima, Secundũ sequitur ex primo, videlicet, quod ista mors non erit fortuita, nec violenter, nec fraudulenter ipso ignorate ingesta: sed erit per hũc ipsum ab æterno prouisa, & certo tempore, & ordine, & loco, & modo quo voluerit præparata. Tertio, vt hæc mors sit admodũ nobis fructuosa, erit sustinẽti amarissima:

rissima: erit etiam turpis, probrosa, cōtume-  
 lijs, ludibrijs, & ignominijs plena. D O M.  
 Hæc est huius optimi miseratoris benigni-  
 tas infinita, vt nō solum simplicē mortem,  
 sed & pœnis maximis, & vituperijs refertā  
 perferre sua sponte dignetur. At idē hæc  
 mors nostrā mortem, & omnem iniuriā, &  
 mille scelera facilē euacuabit. R A E M. Ve-  
 rum dicis. Hinc iam citus accipis quartam  
 huius mortis conditionem, quod ingeretur  
 huic viro in loco publico & solenni, in cla-  
 ra luce, in meridie, in festo die, & in frequē-  
 tia aspectuq; innumerabilis populi: cū im-  
 pijs, & sceleratis. Hęc homines nequissimi,  
 instigante diabolo, qui occultas in hunc vi-  
 rum exercet inimicitias, perpetrabunt, quō  
 mors ista fiat omnium turpissima, ignomi-  
 niosissima, & cunctis hominibus execrāda.  
 Ipse verō hæc omnia læto & deuoto animo  
 sustinebit: sciens, quia mors sua nobis con-  
 uertetur in vitā, & cōtumelia atq; ignomi-  
 nia trāsibit in gloriā. D O M. Magnū profe-  
 ctō pietatis mysteriū, qui per tam enormē  
 hominū malitiā nostrā est malitiam destru-  
 cturus. Imō verō ipsa malitia destruet se-  
 metipsam, & quantō robustius super hunc  
 virū incubuerit, tantō ipsa facilius in omni-  
 bus pessundabitur. Mors enim hæc sanctis-  
 sima sicut per iniquitatē cōmittitur, ita &  
 pro-

propter iniquitatē toleratur: & sic pōt vtrā-  
q; iniquitatē perimere, eius à quo cōmissa  
est, & propter quem perpeffa est.

*Quàm rationabiliter sequatur saluatio huma-  
na natura per hanc mortem.*

C A P.

L X I.

R A E M V N D V S .

**N**Vnc faciliter licebit aduertere, quo-  
modò hæc mors sit nostra vita, & ista  
peremptio sit nostra saluatio. Nam cū iste,  
qui hâc mortem paritur, sit Deus, & Dei fi-  
lius, ac perinde infinitæ dignitatis, ideo &  
mors ista, quam offert Deo, est in infinitū  
pretiosa, & meritoria. Tenetur igitur iustus  
Deus, qui per hanc mortem in infinitū ho-  
noratus est, præmium reddere infinitū. At  
quoniam vir iste cū sit plenus omnibus  
bonis, vt puta verus Deus: ideo sicut nullo  
eget, ita nihil recipere pro se potest. Cū igi-  
tur necesse sit Deum aliquid quod maximū  
sit largiri, & iste recipere non possit: relin-  
quitur ergo, vt isto volēte, & annuēte, ali-  
cui alteri detur, qui bono maximo summo  
pere egeat, & carere non possit. Sed cui cō-  
uenientius, rogo, dabit vir iste mortis suæ  
fructum, & tanti boni hæredes efficiet, quā  
parētes, & propinquos, & fratres suos, quos  
videt summa paupertate deficere, & mille

cala-

calamitatibus fatigari? Dabit igitur hominibus infinita merita sua, quibus obligationem redimant, culpas soluant, Deum iratū mitigent, & à diaboli laqueis resipiscāt. Ecce, mi Dominice, inuenit humana natura in hoc vno homine, quod sponte, & non ex debito Deo tribuat, quod verè suū sit: hoc dum tribuerit, de Dei manibus, & tormentis innumeris se redemit. D O M. Patet igitur, quòd omnis homo, qui ad gratiam huius viri accesserit, & illi cum bono affectu inherere voluerit, liberabitur ab omni quo irretitus est malo, & ad reconciliationē p̄sentissimè transferetur. Qui verò hāc gratiā aut contempserit, aut dissimulauerit, iste in æternum peribit, teus sempiterno delicto: nam & ira Dei permanet super eū. R A E M. Nihil verius. Debes prætereā nosse, quòd duplici iure huic homini debetur regnum cœlorū. Primò ratione filiationis, quia ipse etiā vt homo erit charissimus Dei filius, solus semper faciēs beneplacitum patris. Huius gratia sibi soli promeretur regnū cœlorum, & nulli alteri. Secundò, merito suæ dignissimæ passionis: & hanc gratiam dabit fratribus suis, vt fiant hæredes Dei, eohæredes aut sibi. D O M. Istæ sunt summæ, & impreniabilis diuitiæ, quibus tunc mōrtis eius omnis nostra paupertas expietur, & in finitis



finitis bonorū omniū thesauris repleatur.  
 R A B M. Sed nunc iam intuere, quomodo  
 hæc mors omnē culpam humani generis, &  
 Culpa omnem offensam exterminet. Quadruplex  
 quadruplex. est culpa. Prima est Originalis generalis; &  
 hæc est primorū culpa parentū. Superindu-  
 cta in omne hominum genus. Alia est cul-  
 pa Originalis particularis, quam quælibet  
 anima humana contrahit dum vitiatæ car-  
 ni sociatur. Tertia est Actualis, quæ post  
 usum rationis ab vnoquoq; committitur,  
 quæ quotidie in homine sine numero mul-  
 tiplicatur. Porro hæc mors summè pretiosa  
 primò & principaliter quàm citò fuerit ef-  
 fecta, tollet culpam illam generalem, quæ  
 vna erat & latè diffusa in tota humana na-  
 tura, atq; hoc modo penitus renouabitur.  
 Sed aliæ duæ culpæ particulares nō statim  
 tollentur post hanc mortem, nisi in illis tan-  
 tūm, quæ huic optimo viro in hæserint, & in  
 suis se membris credendo & amādo consti-  
 tuerint. Paruuli autem qui nō habent usum  
 arbitrij, sicut habent solā culpam ab alijs  
 contractā, ita poterunt huic viro per alios  
 qui adulti sunt, inhæerere, & hoc eis sufficere  
 ad salutē. Qui verò vitur arbitrio, & huic  
 viro non inhæserit, nec eius signaculū di-  
 scretionis susceperit, peribit anima illa de  
 populo suo. P. Q. M. Cum ingenti, te audio  
 volupta.

voluptate. Sed quæ est illa quarta culpa quam nondû tetigisti? R. A. M. Ipsa est culpa Personalis omnium maxima: culpa inquam illorum, qui hunc virû benignissimû occisuri sunt. D. O. M. Cùm hic vir sit infinitæ bonitatis & maiestatis, non puto quòd mors eius, quæ tam iniquis manibus cõsummabitur, possit eam culpâ delere, quæ perpetratur, cû ipsa circa hunc plus operat mali, quàm mors eius operetur bonum. Mors enim solos nos respicit & reficit qui nihil sumus: sed culpa in illû tēdit, & illû perimit, qui est summè bonus, & infinitus. R. A. M. Dico primò, quòd multû alleviabit hâc culpam personalem ipsa perimentiu ignorantia. Si enim nōssent, nunquàm Deû gloriæ crucifigerent. Secundò meritum huius vtrâ erit duobus modis infinitum: Primò ex parte operantis, quæ est personæ infinita: secundò, ex parte Dei acceptantis. Omne enim meritû acceptabile Deo est infinitum: mors igitur ista erit infinita & ex parte morientis, & ex parte mortem acceptantis: omnis autē culpa & Personalis, & Actualis & Originalis est solum inhibita ex parte Dei, in quem committitur: sed nō ex parte hominis, à quo cõmittitur. Sic ergo sapiētia vincet malitiam, & mors eius omnē nequitiam expiabit. Debes tamen scire, quòd iste hu-

mani

mani generis redemptor nō solū purgabit peccata nostra infinita satisfactiōe, sed etiā immensa cordis contritione. Satisfactio per mortem respicit offensam Dei iustitiā. Sed quia Dei infinita benignitas etiam exasperata est, ideo oportet eam huiusmodi infinitis lachrymis, gemitibus, & doloribus mitigari. Nam quantū Deus bonus est & amabilis, tantū est ipsa odibilis & aspernabilis culpa: & ideo necessarium est, eam summis animi compunctionibus expiari. **D O M I.** Hoc postremū maximè ostendit, quā necessarium sit collapsō, contracto, & obdurato homini talis medicus, qui sua morte, suo sanguine, suis lachrymis & gemitibus nostris vulneribus medeatur. O verè dulcissimum virum amoris brachijs complexandum. Sed quæso te, quomodò hīc se geret post susceptam mortem?

*Qualiter vir iste se habebit post mortem ad seipsum & omnes creaturas.*

C A P. L X I I.

R A E M V N D V S.

**P**RImò scito, quod occisus in mortē, nō poterit à morte detineri. Cū enim sit Deus verus, omnipotens, summè sapiens, & maximè clemens, ideo omnia faciet ut sapien-

sapientissimum & optimum decet. Sua ergo potentia se suscitabit occisum: ut sicut sua mors, ita & sua resurrectio nostris periculis suffragetur. Nihil enim prodesset, morte plenissimè satisfacere, si remaneret in morte. Nam nemo hominū in illum crederet, neq; speraret, nec se illi coniūgeret, quem videret morte prosterni. Quomodò enim meam mortē vinceret, qui suam non potuit superare? Indecens præterea ut corpus tam sanctū, tam mundū, tā gloriosum in sordentē puluerē cōuertatur, quod spōte sine debito mortis in mortē se tradidit pro mundi vita. **D O.** Nūquid iterum mortalis resurget, vel certè immortalis? **R AE.** Vtiq; immortalis. Nam frustra rursus mori cuperet, cum vna morte sufficienter omnem corruptionē deleuerit, & mortem. Nō autem solūm resurget immortalis, sed etiam ascendet cum summo triumpho supra omnes cœlos, ut à patre recipiat possessionē æternā pro humana natura: & illic residēs, in dextris Dei, colligat in cœlis quos emit in terris. **D O M.** Illic igitur sublimis residēs, quomodò se geret ad cæteras creaturas? **R AE.** Creaturarū quatuor sunt partes, ut ad omnes corporalis tantum: Alia est partim corporalis, partim spiritualis, ut natura humana. Tertia est merè spiritualis, ut natura

tura humana. Tertia est merè spiritualis, vt natura angelica. Et hæc est bipartita: sunt enim Angeli boni, & Angeli mali. Ac quoniam homo iste ratione humanitatis erit creatura omnium nobilissima, altissima, & vna persona cum deitate coniuncta: ideo sub se habebit omnes creaturas, subiicieturque pedibus eius. Erit ergo dominus & caput bonorum Angelorum, qui suum in lucifero corruente caput perdidērunt. Ille itaque homo sublimis sua maiestate redintegrabit Angelorum ruinam, & caput se illis dominumque constituet. Ecce hoc est caput, quod vt notares diligenter supra comonui. D. O. Memini equidem, & nunc clara luce illud intueor. Cum enim vis iste sit multo excellentior, & in infinitum melior, quam erat Lucifer ante ruinam: ideo rectissime erit bonorum caput & princeps Angelorum: atque hoc pacto plus multo angelica natura recuperabit, quam perdidit. Sicque in ordine creaturarum bonarum vna erit creatura multo maior in bonitate, quam sit Lucifer malus in malarum genere creaturarum. Nam (nisi fallor) ante hunc virum nulla creatura erat ita bona, sicut post ruinam primus Angelus factus est malus: atque ita malum bonum superabat. Hoc autem viro super Angelos caput constituto bonum longissime malum vincet: quia sine vlla comparatione erit melior, quam

quàm sit Lucifer iste malignior. Duobus igitur modis bonū malum superabit. Primò, quia maior erit huius viri bonitas quàm in omnibus malis sit scelerata perversitas. Secūdò, quia opera eius tantò erūt meliora, quātò deteriora sunt maliuolorū dæmonū atq; hominū opera. Da veniā, si te meo sensu fatigo, & prosequere quod tuum est.

**R. A. E.** Erit quoq; hic homo diuinus malorū etiam dominus Angelorū per iustitiam, sub cuius pedib<sup>9</sup> malignus Lucifer captiuus innodatusq; tenebitur, vt ne pedem quidē, aut vnguē, præter eius imperium mouere possit. Erit tertio omnium hominum dominus, & suorum fidelium sublimissimū caput. Erit quartò, Dominus totius vniuersi. Omnes enim creaturæ propter hominem: ergo sicut est Dominus hominum, ita erit & creaturarum, terræ scilicet, aëris, & ignis, & omnium quæ sunt, quæ viuunt, quæ sentiunt.

**D. O. M.** Satis iam ostendisti quis, quantus, & qualis, quàmque necessarius sit, qui genus humanum debeat liberare: sed nunquid volet

Deus nobis talem hominem largiri?

*Quod Deus uolet humano generi hunc hominem largiri: & quod IESVS Christus ipse fit iste homo.*

C A P. LXIII.

R A E M V N D V S.

**O**Mnino necesse est, ut Deus velit hunc hominem dare generi humano. Ad hoc enim cogit eum sua immensa benignitas, quæ non patitur funditus mundum interire. Quid enim proderit, in tanta dignitate hominem cõdidisse, omnemq; creaturã in suũ obsequium statuisse, si homo non est illum, in quem conditus est, finem adepturus, sed perpetuò miserè periturus? Præterea si nullus debet hominum saluari, tunc frustra illi seruiunt creaturæ, quod diuinæ sapientiæ summè repugnat. Cùm igitur sapiens Deus sinat hominem de creaturis continuè viuere, signũ est ineffabile, quòd intendit hominem collapsum reparare, & in finè propter quẽ plasmatus est. Tertio, hoc ipsum patet, ex cõtinaua multiplicatione generis humani super terrã. Nunquàm Deus post peccatũ primi patris multiplicasset homines in terra, imò subito destruxisset, nisi cogitaret Deus super hominem cogitationes pacis, & miserationis. Quarto, si aliquo temporis momento non fuit in mundo aliquis

aliquis hominum qui debuit saluari, iam tunc totus mundus frustra erat, & pro nihilo, quod nimis absurdū est dicere. Verū quia nullus hominū saluari potest, nisi per hunc virū saluatorē, de quo hactenus locuti sumus: idē postquā Deus hominē ruinōsum non vult perire, optimam habet voluntatem hunc virum humano generi largiendi. **D O M.** O' maximam Dei bonitatem, pietatem, dulcedinem quæ per talem mediatorem nostris parat periculis subuenire. Summa igitur nobis securitas est, hunc optimum hominem habituri, quem longo circuitu quæsitum scrutati sumus.

**R A E.** Et quoniam homini Christiano loquor, nec est mihi contra Paganos, aut Iudeos disputandum, hoc enim egi liquidē in volumine, vnde iste originem ducit: idē non oportet hoc repetere, quibus medijs, aut modis hic homo à Deo donat<sup>9</sup> sit, quibus sit lachrymis & suspirijs expetitus, de quo populo oriūdu, de qua foemina natus: hoc solū nūc dicere cōuenit, quod solus **I E S V S** Christus, ipse sit ille homo, quē Deus prophetarū oraculis longē antē promisit, & in plenitudine temporum fideliter misit. Hic est **I E S V S** Christus ver<sup>9</sup> Deus & verus homo, in quo omnes cōditiones & circūstantiæ, quæ necessariæ erant pro hu-



mani generis satisfactione, inuentæ atque completæ sunt. Ipse enim Deum sua bonitate & morte placauit, ipse peccata multorum tulit, ipse pœnas omnes remouit, tartara obclulit, paradysum aperuit, coelos reserauit, & captiuantē diabolū propria virtute contriuit. Ipse contra vitia, peccata, opere, & sermone prædicauit, scelera redarguit: radices malorum omnium, propriam scilicet voluntatem, proprium amorem, laudem, & gloriã quæ sunt homini causa perditionis, & in Deum inimicitiarū, penitus destruxit, & eliminauit. Et breuiter, quicquid ad salutē humanæ naturæ esse potest, fideliter, seruenter, humiliter, & perseveranter operatus est. **D O.** Talē igitur cum tenemus **I E S V M** Christū Deum & regem verū, quem tam pium, bonū, mansuetum, & tanto amore flagrantē agnouimus, vt pro peccatis hominū amarā sustinuerit mortem, meritò illum omnis homo amare, venerari, colere, & laudare tenetur, & huius gratiã quærere, huius corpori mystico inherere, huic sedulò obedire, in quo est omnis plenitudo bonitatis, virtutis, & charitatis, scientiæ, sapientiæ, meritorum omnium, ac præmiorum. Qui ergo hunc virum contemnit, perpetua manet in morte. Qui verò huius nobilissimi capitis membrū efficitur,

situr, in immensam crescit dignitatē. Vnus enim bonus Christianus melior est & præstantior, quàm omnes qui viuunt in terra homines non Christiani. Malus autē Christianus est omnium pessimus. R. A. Hinc pulchrè licet animaduertere, quàm iustus, & quàm bonus sit omnipotens Deus, qui hunc hominem hominibus est largitus. Iustus, qui quæsiuit iustum redemptionis pretium: bonus, qui in mortem vnicum tradidit filium! Cùm enim homo corruptus, & in immensum obligatus, non posset debitum infinitū soluere quod debebat, Deus benignissimus volens ab homine placari, gratis contulit ei nouum hominē, qui Deus esset, & homine maior, qui satisfaciat pro homine obligato, habens in se inæstimabile pretium, vitam scilicet innocentissimā, atque sanctissimā, quam cùm in mortem indebitam Deo pro homine tradidit, debitum hominis soluit, & Deū homini recōci haui. Dedit enim humana natura maximo creatori in isto homine quod suū erat, vt alijs hominibus redimeret, quod reddere nō poterat. P. O. Quid ista iustitia distictius? quid hac clementia misericordius? Vult Deus placari ab homine, nō tamē placari se patitur; nisi moriatur iustus, innocens, immaculatus. At ne fiat difficultas

in pretio, ipse illum largitur qui occidatur. Non habes, inquit, o homo vnde te redimas, accipe vnigenitum fructum ventris mei, & da illum mihi pro scelere tuo. Magna certè dignatio.

*Quæ sint illa maxima dona, quæ homo miserabilis recipit à Iesu Christo.*

C A P.

L X I I I I.

R A E M V N D V S.

**P**ostquam igitur medicina præparata est, necesse est, vt eam ægroto, & misero homini applicemus. Si ergo **I E S V S** Christus vulnerū nostrorū medicus est, restat vt ad illum omnes accedamus, vt possint ægritudines nostræ recipere medicinā. Nihil in nobis tam morbidum, quod non ipsius medicationis dono curetur: nos captiui sumus, ipse redemptor: nos obligati, ipse fideiussor: nos destructi, ipse reparator: nos morbidi, ipse curator: nos mortui, ipse resuscitator: nos cæci, atq; obtenebrati, ipse clarificator: nos erratici, ipse conductor. **D O.** Utinam nunc velit homo suas calamitates attendere, vt tantum medicum sibi noverit profuturū. Qui sua vulnera malè sanus non sentit, hunc curatorem optimum non requirit: qui autem non requirit, morti sempiternæ iam inhæsit. **R. A. E.** Duplici obli

obligatione, (vt nosti) homo implicitus tenetur, scilicet pro beneficijs acceptis, & pro culpis commissis. Prima semper ab homine solui debet, quam tamen secūda obligatione irretitus. Soluere nō potest. Nō enim potest Deum amare, laudare, venerari, culpis & criminibus cōpeditus. Porro à secunda obligatione liberari nō potest, nisi primā compleat: & primam complere non potest, nisi secūda recedat. Vides certe istum biocipitem laqueum. Venit igitur dominus I. S. S. V. S. Christus, soluit suā miseratione, & morte obligationē secundam: & dat homini adiutorium gratiæ vt compleat primā. Solutus enim homo à peccatis & scelerib<sup>9</sup>, quæ est obligatio secūda & infinita, iā incipit Deum pro suis beneficijs amare, honorare, reuereri, quæ est obligatio prima. Hoc adiutorium Gratia Christus tribuit nobis tanquā Deus, & meruit nobis tanquā homo. Licet enim, omne quod Deus tribuit, dicatur gratia: istud tamen adiutorium, quo Deum diligimus, & honoramus, est summa gratia, sine qua nulla proficit alia. D O M. Quantū ego intelligo, plus est hanc gratiam accepisse, quā vel corpus, vel animam. Nā sine ista gratia homo mortuus reputatur, quia nihil potest operari inquantū homo est. R. A. S. Recte tu  
 r s quidem

quidem. Et idcirco hæc gratia Deū amandi, quam Christus administrat, est vita ipsius animæ, sine qua anima humana Deo mortua est. Ista gratia hominem restaurat, reformat, viuificat, sanat, formosum Deo, & amabilem præstat. Hæc gratia hominē bonum, iustum, Deo dignum, & Dei filiū, & hæredem facit: & ipsum fratrem pacificum, & amabilem suis fratribus restituit. Hæc gratia reducit hominem de via erroris, mendacij, & falsitatis, & deducit per viam veritatis, & securitatis, gaudij, & exultationis: hæc gratia saluatoris hominem reuocat à iugo miseræ captiuitatis, à vinculis propriæ voluntatis, propriij honoris, & amoris, & ponit eum in libertate, & in amplissima patria voluntatis Dei. Et vt omnia in vno verbo complectar, hæc gratia restituit homini suū Bene esse, quod antè perdidit, & tollit ab eo suū Malū esse, & ita restituit ei spiritum, salutem, & sanitatem. **D O M.** Magna commendatio gratiæ domini Saluatoris. Nunc planissime liquet, quàm opportunus ipse nobis redemptor aduenerit, à quo hæc adiutorij gratia maxima condonatur. Sed oro te, paulo apertius dixeris, quomodò hæc gratia **I E S V** Christi restituit homini Bene esse.

Ista

*Ista gratia est totum Bene esse hominis: eius  
carentia, Malum esse eius.*

C A P.

L X V.

R A E M V N D V S.

**H**Omo à principio, dum fuit conditus, accepit à Deo Esse, & etiam Bene esse, sed nondum Optimum esse: hoc enim expectabat transferendus in gloriam sempiternam. Acceperat ergo ab optimo conditore Esse, Viuere, Sentire, Velle, & Amare. Acceperat etiam Bene esse, Bene Viuere, Bene velle, & Bene amare. Habebat ergo Bene esse, & corporis, & animæ. Verùm quia primus homo hoc Bene esse, quod habebat, & seruare poterat, sua voluntate perdidit: idè tantum sibi retinuit Esse, & pro Bene esse acquisiuit Esse malignū, iniustum, sordidū, caducum, vitiosum. Spoliatus igitur gratiarum vestibus, his semicinctijs, & lacinijs ignominiosis est turpiter coniectus. Vt autem melius agnosceret animæ suæ cladem, atque ruinam, corporis quoque mala suscepit, & factus est mortalis, luteus, animalis, infirmus, vt per hæc mala carnis mentis suæ malitiam comprobaret, si fortè negligentius eā vellet dissimulare. habens igitur in se tã deforme, malignū, & tortuosum Esse, factus est suo odibilis creatori, eò q̄ opus  
suum

suum tam præclarum in se homo corrupe-  
 rat. Inuentus ergo inutilis, corruptus, abo-  
 minabilis, ad nihil aliud vacabat, nisi vt  
 perpetuis ignibus destineretur. Verùm li-  
 cet perdidit homo suum Bene esse, remã  
 fit tamen ipsa obligatio Amoris, & reuerẽ-  
 tiæ: quam soluere certè oportebat: nec erat  
 illi aliqua excusatio, quia sua volũtate Bene  
 esse perdidit. D O. Hinc certè palam in-  
 tueor, quòd reddere homini suum bene ni-  
 hil est aliud, quã reducere eum ac mutare  
 de malo, tortuoso, iniusto, vitioso Esse, ad  
 bonũ, rectũ, sanctũ, iustum, saluiferum: vt  
 homo Bene viuat, bene intelligat, bene  
 amet, bene velit, & possit: vt sit sanctus, ho-  
 nestus, decorus, pulcher, virtuosus. R A E M.  
 Aspice igitur Dei dulcissimam bonitatem,  
 qui vt hominem sibi fœderaret, & remotis  
 tot malis in primis bonis restitueret, dedit  
 homini I E S V M C H R I S T V M, qui  
 omnẽ de medio tulit offensam, remouit cul-  
 pã, & pœnam, & ad Bene esse pristinum ho-  
 minem reuocauit. Recipit ergo à I E S V  
 Christo vt amet, & metuat, honoret, & lau-  
 det Deũ, vt diligat proximũ sicuti semet-  
 ipsum: & in his omnibus gaudeat, p̄seueret,  
 exulter, tripudiet, delectetur. Ecce hoc est  
 Bñ esse, hæc est vera vita animæ per Chri-  
 sti gratiã homini reparata. D O. Tria itaq;  
 colligo

colligo beneficia maxima, quæ Christi miseratione donantur: scilicet, Indulgentia, vt offensa deleatur: Gratia, vt Bene esse conferatur: Gloria, vt Esse optimum aliquando donetur. Nam gratiæ semper debetur gloria. Gratiæ igitur immortales agamus CHRISTO, qui ista nobis suo sanguine mercatus est.

*In homine Christiano sunt tres generationes,  
& tres fraternitates distincta.*

CAP.

EXVI.

R A E M V N D V S.

**V**T perfectius adhuc, & clarius Christi gratiam & Bene esse hominis agnoscas, scire te conuenit, quòd Adam primus pater recepit à Deo corpus & animam, & Bene esse. Sed dum Bene esse per inobedientiam perdidit, Esse tantum; imò & Malè esse corporis & animæ reseruauit. Porrò Christianus homo instar primi tres habet res sibi collatas, distinctis tamen generationibus. Habet enim Carnem à primo parente, habet animam à creatore, habet & Bene esse à Christo redemptore. Ista tertia completa est, & perfecta, sine qua duæ primæ corruptæ manent, & perditæ. Hæc enim generatio sancta est, & tota bonitas, rectitudo, & pulchritudo animarum. Ista tertia generatio omnino contrariatur primæ;



maz, multiplici ratione: Primò, Per primam  
 enim generationē caro dominatur, & ani-  
 ma seruit: per tertiā, anima dominatur car-  
 ni, & suæ subijcit seruituti. Secundò, per pri-  
 mam generationē homo erat totus carna-  
 lis, luteus, brutalis: per tertiā homo fit spiri-  
 tualis, rationalis, diuinus. Tertiò, Per primā  
 homo perdidit similitudinem Dei, & nanci-  
 scitur similitudinē diaboli: sed per tertiam  
 recuperat Dei similitudinē, & in pristinum  
 se attollit decorem. Quartò, Per primā ho-  
 mo recipit in se radicem omnium malo-  
 rum, sed per tertiam omnium bonorum fo-  
 mitem recuperat, & conseruat. **DOMI.**  
 Hinc iam cernere licet apertius, quantum  
 primus & secūdus Adam sint inter se con-  
 trarij. Primus hominē corrumpit, & perdit:  
 secundus reparat, medetur, & saluat. Ille ani-  
 mam à creatore corpori infusam inficit, &  
 occidit: iste eam mundat, ornat, & viuificat.  
 Ille omnes, quos de se gignit filios, perpe-  
 tuis cruciatibus damnat: iste suam sobolem  
 baptismi lauacro purgatam in cœlestibus  
 eleuat, & coronat. Ille sua foetida carne o-  
 mnes commaculat: iste suæ sanctę & mun-  
 dę carni sociatos mūdōs reddit, & lucidos.  
**R. AB M.** Egregiè tu sapis. Nūc pauca de tri-  
 plici inter Christianos fraternitate loqua-  
 mur. Prima est Carnalis, qua omnes ab vno  
 primo

primo parente descendunt. Secundò sunt fra-  
 tres, quia ab vno patre spirituum Deo suas  
 animas accipiunt. Et istę duę cõmunes sunt  
 etiam & Paganis & Iudæis. Terriò sũnt fra-  
 tres, quia ab vno patre Christo omnes Be-  
 ne esse sortiuntur: Hęc postrema est omniũ  
 õptima, sine qua duę primæ mortuæ sunt.  
 Hęc fraternitas, est magnæ notabilitatis,  
 magnæ excellẽtiæ & amoris, magnę boni-  
 tatis, charitatis, & vnionis. Hęc fraternitas  
 est infiniti meriti, valoris, & præmij: quia  
 Christus Deus homo emit eam morte sua,  
 vitam tribuens pretij infiniti. Hęc fraterni-  
 tas, est fraternitas gratiæ, quia Christus gra-  
 tiarũ pater eam suis prolibus assignauit:  
 Cæterę autem sunt naturæ. D O. Meritò  
 hęc, tertia fraternitas tantæ est dignitatis,  
 quia de patre dignissimo, & illustrissimo  
 Christo originẽ sumit. Summo igitur amo-  
 re se debet inuicem diligere Christiani, qui  
 talem & tam amabilem sortiuntur patrẽ, qui  
 eòs suo sanguine lauit, sua morte redemit,  
 sua resurrectione iustificauit, & sua glori-  
 ficatione coronabit. R AB. Vt cuncta me-  
 lius intelligas, quæ de hac triplici genera-  
 tione & fraternitate locutus sum, vnum ma-  
 nifestum tibi ponam exemplum. Corpus hu-  
 manũ recipit Esse, recipit & Bene esse. Nam  
 epar, cor, & cerebrum alijs largiuntur mem-  
 bris

bris omne quod habent. Epar enim dat Esse grossum, estque ipsis membris instar corporis: mittit naq; eis humores corpulentos, ex quibus membra generantur, nutriuntur, sustentantur. Hoc autem facit per venas, ex quibus largitur sanguinem: & est quasi primus Adam, qui dat carnem solum. Secundo, Cor ipsum mittit calorem naturalē, & confert omnibus membris vitam spiritum, & habet se ad modum domini creatoris, qui dat animam viuentem humano corpori. Est ergo hęc spiritus quasi membrorum anima, sine quo omnia membra mortua deputantur. Tertio, ipsum Caput seu Cerebrum, quod est altissimum, spargit in omnia mēbra per nervos sensum & motum: & est sicut Christus dans Bene esse toti corpori. Sicut igitur corpus ab epate grossum sanguinem, ita homo recipit ab Adam sensibilem carnem. Et sicut corpus recipit à corde spiritum vitalem, ita homo recipit à Deo animam viuentem. Sicut quoq; corpus accipit à capite sensum & motum, ita & homo capit à Christo gratiæ adiutorium. Et quemadmodum corpus iacet paralyticum, languidum, & emortuū, & semper deorsum labitur, nisi sensum à capite motūq; recipiat, nec quicquam ei profunt aut epatis, aut cordis munera: ita nisi homo gratiæ adiutorium & bene esse recipiat,

recipiat, semper ad terrena corrui, nec quicquam illi prodest corpus atq; arbitrium recepisse. D O M. Hoc exemplo, & cæteris quæ paulò ante de gratia dixisti, efficacissimè destruitur hæresis Pelagiana. Hæc enim falsò asserit, post acceptum à Deo liberum arbitrium Christi gratiam non esse homini necessariam. Dicunt nempe homines superbissimi, A' Deo habemus, quòd homines sumus: sed nostrum est, quòd iusti sumus. Nesciunt enim quòd liberum arbitrium in primo patre corruptum, sursum ad iustitiæ opera attolli non potest, innumeris obligationibus strepitum, nisi Christi miseratione soluatür.

*Mors Christi, vnde homini gratia confertur,  
& Bene esse, generat in homine Christiano novam obligationem.*

C A P.

L X V I I.

R A E M V N D V S.

Sicut supra in dialogo de Obligatione, monstrauimus, hominem astringi Deo pro beneficijs creaturarum acceptis: debereq; Deum toto corde diligere, honorare, laudare. Multò tamen amplius, & sine vlla cõparatione obligatur homo optimo largitori, q̄ I E S V M illi cõtulit, per quẽ omnẽ suam miseriam, culpã, iram, offensam feliciter,

ter, & efficaciter expiauit. Quãtò Christus plus valet quàm omnes creaturæ, tãtò magis obligatur homo pro suscepto. Christo, quàm pro omnibus creaturis. Cùm enim Christus sit persona infinite bonitatis, & hũc largiẽdo Deus exhibuit homini infinitũ amorem, & immẽsam liberalitatẽ: idẽ duplici obligatione infinita homo cõstringitur, & Christo redemptori, & patri largitori. Quæ quidem obligatio multũ differt à prima. Nã prima est naturalis, & propter esse hominis, & propter mundũ: sed ista obligatio est propter Bene esse hominis per I E S V M. Item prima est propter hominẽ factũ de nihilo negatiuo, sed ista propter hominem collapsũ in nihilo priuatiuo. De nihilo negatiuo factus est homo, qui corruens in malitiã, in iniustitiam, in turpitudinem, cecidit in nihilũ priuatũ, priuã seipsum suo Bene esse, sua Gratia, sua Iustitia. Quãdo igitur Deus extraxit hominem de isto nihilo, conferens sibi per Christi mortẽ Bene esse, & Bene viuere, tanq̃ iterũ: fecit hominem de nihilo. Primò hominẽ fecit cùm non esset, deinde refecit cùm fuerat corruptus. Verũ quia magis est hominem reformare, quàm facere, & maioris valde pietatis. Vt enim non crearetur nõ demeruerat: sed creatus & superbus, & inobediẽs factus, meruit  
 vt illud

vt illud perderes, quòd factus erat, & illud propter quod factus erat. Ideò in infinitum amplius obligatur homo pro eo quod tam gratuita miseratiõe moriētis Christi restau-  
 ratus est, quã antè Dei manu plasmatus est. **D O.** Meritò id quidem. Nam in isto opere reparationis nostrę Deus suam vltimã ostēdit amicitiam, charitatem, amorē, dulcedinem, donans nobis suū. Filium sibi coęqualem, quem amara mortē peremit, vt nostris mortibus subueniret. Sed rogo te, quomodò poterit homo finitus hanc infinitam solvere obligationem? **R A E M.** Duobus modis. intellige quę dico: Primò potest hanc obligationem solvere, si offerat Deo suam amorem, suam timorem, suam laudem, suam deuotionem, ita tamen quod cum istis simul & Christū offerat, qui est sufficiētia nostra, per quem plenissimè Deo reddimus quod debemus. Ad hoc enim nobis à Deo largitus est Christus vt per illū suppleamus, quicquid ipsi nostris viribus non possumus. Semper enim acceptat filium pater, quem si commiserimus, & per nos ipsos ad Deū accedere voluerimus, reijocimur, repellimur, & vt superbissimi iudicamur. **D O.** Nec immeritò: qui enim sine mediatore ad Deum iratū reus accesserit, grauiori animaduersione percussus superbiae suae penas dabit. **R A E.**

Secundò potest homo hanc obligationem solvere, si mortem filij Dei qua redemptus est, grata semper memoria gestauerit. Impijssimū enim est, tam benignissimam miserationē ingrato trāsire pectore. Passio nē pe Christi est infiniti meriti, & totum hominis bonum: idē omne studium Christiani, & tota eius cogitatio, atq; intentio, versari debet circa memoriā mortis Christi, in qua sunt omnes thesauri diuitiarum & meritum omniū. Qui igitur vult suę obligationi dignē satisfacere, & omnē in se virtutem, & omne Christi meritum possidere, recipiat in memoria passionē eius, per quam fit in seipso viuificatus, Deo recōciliatus; & à diabolo liberatus. **DOMI.** Sed non ne mors Christi iam transijt: quomodò ergo quod trāsijt, & iam nō est, mihi poterit prodesse? **R. AB M.** Dixi iam tibi. Licet enim Christi motus transijt, meritū tamen mortis in æternum manet. Quod meritum tunc in se homo recipit, quando in memoria deuotus recipit ipsam mortem. Et quia meritū semper viuic, idcirco qui in se accipit Christi mortem per recordationem, viuic in Christo, gaudet, iucundatur, exultat. Qui verò Christi mortē nō recordatur, ingratus est, nec primā obligationē soluit, nec istā: sed peccatorum suorū obligatione cōpeditus, manet in morte,

morte, in ira Dei; & in vinculis diaboli. **D O.**  
 Hic patet quod Christianus & peccator, &  
 ingratus, seipsum diligens suā quæritās glo-  
 riam, suā famā, respues Christū, infinito rea-  
 tu supra cæteros homines se astringit. Tan-  
 tum enim peccata hominis Christiani ex-  
 cedunt peccata omnium Paganorum ac Iu-  
 dzorum, quantum obligatio mortis Chri-  
 sti (cui Christianus reus tenetur) superat  
 obligationē pro beneficijs acceptis à crea-  
 turis. Est ergo malus Christianus omnium  
 qui viuunt hominum nequissimus, & infi-  
 nitis supplicijs præ ceteris dignus. Vnum ta-  
 men est quod me vehementer mouet. Si  
 per Christi mortem homini confertur Be-  
 ne esse, quid est quod quotidie tanta mala,  
 nūc corporis, nūc animæ experimur, & ple-  
 runq; maiora, quàm qui Christi gratiā non  
 receperunt? Corpus vt prius madet infir-  
 mum, miserum, fragile, mortale; anima ve-  
 rò mille quotidie agitur tentationibus,  
 nunc carnis, nunc mundi, nunc diaboli. Vbi  
 ergo est illud Bene esse de quo loqueris?

*Homo lapsus licet reparetur quantum ad Bene  
 esse anima, manet tamē malū pœna in corpore.*

C A P. L X V I I I.

R A E M V N D V S.

**I**ntellige primū, quid sit Bene esse, &  
 quid Malè esse; & tunc faciliè quod quæ-  
 ris in



ris inuenies. Bene esse animæ est, quòd sit iusta, sancta, recta, immaculata, fugitans vitia, & peccata, & quòd Deum amet, laudet, honoret. Hæc per Christi gratiã animæ Christianæ conferuntur, atq; hoc modo accipit Bene esse, & Bene viuere. D O M. Si habet Christianus Bene esse, quare tot mala patitur in carne? R A B M. Magnæ pietatis est ista dispensatio. Ideò em̄ corpus manet fragile, & infirmũ, ne negligat homo se lapsum se perditũ aliquãdo fuisse, & Christi gratia reparatum. Secundò, vt meminerit amoris, obsequij, & charitatis sibi à saluatore exhibitæ, nec tam pretiosam mortẽ friuolã putet. Tertio, vt cautus sit, ne iterũ peccet, & æternas det pœnas quæ corporis mala longissimè superent. Noueris tamẽ q̄ istas carnis nostræ miseras Christus nobis in bonũ conuertit, quia eas & volũtarias facit, & meritorias. Si enim tolleret in hac vita oēs pœnas, tolleret de medio etiã merendi occasiones omnes: omnis nẽpe pœna volũtariæ pro Christo perpeffa admodũ est meritoria. Videt ergo quomodò mala corporis prius inuolũtaria, dũ Christi gratia volũtaria fiunt, ad Bene esse animæ traducuntur. D O. Sed quid dicis de malis, quæ quotidie in anima patimur, vt sunt tentationes, tribulationes, sollici-

sollicitudines, timores; & mille pericula?  
 R. A. E. M. Nihil potest tollere Bene esse ani-  
 mæ, præter solū peccatū: noli assentire pec-  
 cato, & nihil tibi est nociuum. Quicquid  
 enim homo in anima patitur, dempto pec-  
 cato, totū illi vertitur ad salutem. D O M I.

Quomodo potest cōcupiscentia carnis, quæ  
 inimica est animæ, fieri animæ in salutem?  
 R. A. E. M. Dum non assentit. dum eius appe-  
 titum frangit, dū eius desiderijs reluctatur.

D O M. Sed quare Christi Gratia non peni-  
 tus hanc destruit? R. A. E. Certè ne tibi tollat  
 occasionem pugnandi, vincendi, merendi.  
 Olim hæc concupiscentia te traxit ad cul-  
 pam, nunc captiua te ducit ad gratiam. Tu  
 tantū eam cōprime, & retine sub tributo:  
 noli eam repente iugulare, sed tanquàm  
 mortalem inimicum vinculis irretitū sine  
 languescere, tabefieri, & sensim mori. Pro-  
 pter tres igitur rationes ista carnis concu-  
 piscentia homini derelicta est. Prima, vt de  
 tuo aduersario, qui te olim occiderat, egre-  
 giè te vindices. Secūda, vt inimicū habeas,  
 qui te torpentē pugnacē semper faciat, atq;  
 victorē. Tertia, vt dum hunc nonnūquàm  
 repugnantem senseris, gratiæ memineris  
 saluatoris, qui te superiorē fecit, qui illum  
 tuis pedibus subiecit, à quo quotidie tot  
 homines capiuntur, inficiuntur, iugulan-  
 tur.

tur, Si ergo hæc concupiscentia facit ad Bene esse hominis, quæ tamē nociua videtur, multò amplius tribulatio, persecutio, sollicitudo, timor, circumspectio, quæ dum pro Christo voluntariè perpetiuntur, maximã parant animæ coronam. DOMI. Optimus sermo tuus est admodùm informatius ad necessariam patientiam. Sed nunc superest, vt quibus formis aut medijs Christus suis fidelibus Bene esse conferat, & salutem, sapienter edisseras.

*Quibus formis aut medijs Christianus accipit Bene esse à Christo.*

C A P.

L X I X.

R A E M V N D V S.

**V**T homo Christianus recipiat Bene esse à Christo, necesse est, vt nouerit, & susceperit septē ecclesiæ sacramenta. Christus enim benignissimus miserator dona gratiæ suæ per res visibiles & palpabiles instituit elargiri, vt homo exterioribus rebus imbutus, quid introrsum in anima accipiat agnoscat. Nontamen id quod datur visibile est, sed per signum visibile denotatur. Idèò Sacramentum dicitur, quod est sacra-  
 De Sacra-  
 mentis. cræ rei signum. Sicut per scalam naturæ visibilem homo ascendit ad cognoscendas res inuisibiles, vt suprâ patuit: ita dominus

I E S V S

**T E S V S** statuit vt per scalam vifibile ſa-  
 cramentorum, homo lapſus ſe erigat ad res  
 ſpirituales, non ſolum vt eas agnoſcat, ve-  
 rum etiam in ſe recipiat. Prima ſcala eſt na-  
 turæ, ſecunda eſt ſcala gratiæ. Prima eſt ſca-  
 la creationis, ſecūda eſt reparationis, vitæ,  
 & ſalutis. Prima eſt hominis inquātūm ho-  
 mo eſt, ſecūda eſt hominis inquantū lapſus  
 eſt. Si ergo voluerit Deū inuenire per ſca-  
 lam primam, neceſſe eſt vt prius aſcendat  
 per ſecundā: vtpote collapſus, depreſſus, &  
 Dei inimicus. Item per primā ſcalā homo  
 aſcendit ad Deum, ſed per ſecundam homo  
 ſcandit ad hominē Deum. Prima inſtituta  
 eſt à Deo creatore, ſecūda cōdita eſt à Deo  
 ſaluatore. **D O M.** Non mihi mirum videtur  
 quòd Chriſtus ordinauerit per res corpora-  
 les hominē debere recipere Bene eſſe, cum  
 in prima cōditione mūdi ad hoc res corpo-  
 rales quaſdā Deus creauerit, vt per eas ho-  
 mo habens Bene eſſe, reciperet Optimum  
 eſſe. Lignum enim ſcientiæ boni & mali,  
 quod vtique erat corporeū, propterea Deus  
 inſtituit, vt ſi homo ſeruafſet obediētiā ſu-  
 per hoc ligno impoſitā, de Bene eſſe, quod  
 habebat, trāſiſſet ad Optimum eſſe, quod nō-  
 dum nouerat. **R A E M.** Hoc quod dicis etiā  
 huic ſentētiæ opitulatur, quòd ſicut homo  
 lignum hoc vetitum guſtando per res cor-  
 porales

porales cecidit, ita illum per res visibiles Christus erigere curauit. Itē autem res per sacra Christi verba consecrata, talem recipiunt efficaciam & virtutem, vt homo eas in se suspiciens, eam sine dubio gratiā adipiscitur, quæ huiusmodi res visibiles significare videntur, vt patebit in subditis. Et congruēter his rebus corporeis Christi verba, quæ omnē habent virtutē, sociantur: vt sicut homo per verbū Dei est creatus, & per creaturas collapsus, ita & per verbū Christi creaturis immixtū recreetur, & sublimetur. Verba etiā aptius res inuisibiles suo significato repræsentant: & idē meritō rebus visibilibus copulantur, vt perfectius homo credat se eam gratiam intus recipere, quæ per res corporeas forinsecus denotatur.

**D** O. Quia igitur per has res visibiles Christo miserante homo sanctificatur, & recipit intus gratiā, vitam, & salutē, hoc est Bene esse: idē debēt honorari, venerari, & cū omni reuerentia, & deuotione suscipi: & debent sancta appellari, & sacramenta. Primō, quia significant res sacras. Secundō præparant hominem ad recipiendum res spirituales, & sanctissimas. Tertiō, quia à sanctissimo Christo eas nouimus institutas. Meritō igitur hæc scala appellari debet Sacramentalis. Sed tu progredere.

Per pri

Per primum sacramentum, scilicet Baptismi,  
datur animæ humanæ Bene esse.

C A P.

L X X.

R A E M V N D V S.

**N**Vnc in speciali de septem sacramentis  
pauca dicamus, & quomodo per ea da-  
tur animæ humanæ Bene esse. Inter sacra-  
menta primum occurrit Baptismus. Anima  
humana carni corruptæ, putidæ, & malis  
concupiscentijs infectæ copulata, trahit à  
sua carne omnem corruptionem, & cul-  
pam originalem, & concupiscentiam macu-  
losam: & idè necesse est, si debeat à suis  
sordibus emūdari, ad aquas baptismi lauan-  
da festinet: alioquin si nō fuerit aquis lustra-  
tionis repurgata, portabit in æternū in mū-  
ditiam suā. Ista autem ablutio Regenera-  
tio vocatur: quia vetus homo illic renoua-  
tur, & anima recipit novum esse spirituale,  
quod non habebat, & efficitur Dei filia, hæ-  
res Dei, & cohæres Christi. Ista itaq; ablu-  
tio materialis cui sociantur verba sacra, sci-  
licet, Ego te baptizo (id est lauo) in nomine  
Patris, & Filij, & Spiritus sancti: significat  
ablutionē inuisibilem, & occultā, quā Chri-  
stus intus in anima operatur. In hoc bap-  
tismo sicut homo efficitur novus, ita & nomē  
acquit

acquirat nouum, vt à Christo vocetur Christianus. cui iam Christi gratia communicata est. **DOM.** Hinc pulchrè intelligo Christianum hominè esse infiniti pretij, valoris, & dignitatis, qui Christi sanguine, vnde & Baptismus rubet, mundatus est. Nec debere quenquam ledere hominè Christi fidelem, nisi qui velit infinità iniuriã in Christum committere, cuius ipse & nomen, & gratiam, & dignitatem gerit. Sed nunc ostende, obsecro, quomodò hæc visibilis ablutio interiori purgationi coaptetur. **R. AB M.** In promptu est. Nam sicut aqua baptismatis clara, transparentis, & lucida est, ita anima in baptismo, reiectis culparū tenebris, intelligentiæ, & amoris lumen acceptat. Item sicut aqua æstum refrigerat, ita & baptismus concupiscentiæ calorem, & sæuientem carnis motū contrēperat, & gehennæ incendia penitus eliminat. Item sicut ablutio fit à capite, descendens in omne corpus, ita omnium culparū, & poenarū, quæ ab originali peccato, tanquàm à capite sumpserunt exordium, fit plena remissio. Et vt virtutes sacri baptismatis in vnum congregem, in baptismo fit transmutatio de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de seruitute carnis & demonis ad verã libertatem, & seruitutē redēptoris. In baptismo homo moritur carni,  
& viuic

& vivit: spiritui, moritur vitio, & vivit virtuti, exiit operibus tenebrarum, & armis lucis induitur, veterem deponit hominem, & novum induit; qui secundum Deum creatus est. In baptismo præterea tanquam per scalam Christus descendit ad hominem, & homo scandit ad Deum, & fit inter utrosque quidam dulcissimus matrimonij cōtractus: quia anima Christum suscipiens à Christo vicarijs brachijs suscipitur, & veteribus vitiorum vestibus spoliata, incorruptibilibus virtutum vestibus adornatur. **D O M I.** Ex isto dulcissimo sermone tuo, luce clarior apparet, cum quanta celebritate, devotione, alacritate, & pietate debeat Baptismus & conferri, & suscipi: in quo humana anima omnes culpas deponit, maculas diluit, novam natiuitatē acquirit, dæmonis, & carnis laqueos euadit, inter se & Deum nova fœdera iūgit, & in Christi sponsam castissimā transit. Vbi ergo tantorum est bonorum institutio, magna debet celebritas observari.

*Etiam per sacramentum Confirmationis datur anima humana Bene esse.*

C A P.

L X X I.

R A E M V N D V S.

**S**icut in Baptismo homo, quasi modò genitus infans, abluitur à sordibus & emundatur:



datur: ita in Sacramento Confirmationis  
 crescit, augmētatur, roboratur. In his enim  
 quæ ad corpus pertinent, primò videmus,  
 hominem de vulua nasci: secundo, natum  
 crescere, & roborari. Ita in spiritualibus, ho-  
 mo primùm de vulua, hoc est de fonte Ec-  
 clesiæ mysticæ generatur: deinde in spiritali  
 vita per Confirmationis sacramentum au-  
 getur, & roboratur. Et quia in ista robor-  
 atione fit noua operatio, & nouus animæ ef-  
 fectus: ideo nouum etiam debuit institui  
 sacramentū, & à primo distinctum. Verùm  
 quia in quolibet sacramento oportet vt vi-  
 sibile proportionetur rei inuisibili, ideo  
 chrisma, quod est compositum ex oleo &  
 balsamo cum verbis gratiam operantibus,  
 istis scilicet, Signo te signo crucis, cōfirmo  
 te chrismate salutis: huius sacramenti vir-  
 tutem optimè repræsentant. **D O M.** Oстен-  
 де nunc quæso, quomodo hæc exteriora in-  
 terioribus assimilentur **R A.** Dixi in chris-  
 mate oleum & balsamum contineri. Sicut  
 oleum supernatat aquæ, ita gratia cōfirma-  
 tionis gratiam baptismatis superat: Item  
 oleum reddit aquam saporosam: ita confir-  
 matio baptizatum hominem magis efficit  
 populis famosum, vita, virtute, bonitate,  
 conuersatione, sermone. Item oleum exten-  
 ditur, & dilatatur super aquas: ita per hanc

confir

confirmationis gratiam homo exterius ad  
 bona opera dilatur, & nomē Christi ama-  
 bile reddit cordibus aliorū. Item oleū niti-  
 dum est, & perlucidū: ita hoc sacramēto ho-  
 mo conscientia possidet mundā, & iustitiæ  
 luce serenam. Item oliua etiā sæua hyeme  
 semper viret: ita per hac sacramenti gra-  
 tiam confertur homini, vt nulla aduersita-  
 tum asperitate frangatur, sed semper in bo-  
 no perseveret, & in secundis, & in tristibus.  
 Item oleum lene est, dulce, suave, benignū:  
 ita hoc sacramentum facit hominem hu-  
 milem corde, & mitem conuersatione, gau-  
 dere cum gaudentibus, flere cum stentibus.  
 Præterea sicut oleo permiscetur & balsa-  
 mum, quod suauem valde spirat odorē, hoc  
 significatur, quod gratia huius sacramenti  
 homo extra se spargit fragrantia bonæ fa-  
 mæ, bonæ opinionis, & vitæ, qua alios ad se  
 trahit, & suo exemplo instituit. Item ista  
 unctio fit signo crucis in fronte, vt signifi-  
 cetur, quod in hoc sacramento datur gratia  
 ad publicā pro fide pugnandam, ad Christi  
 nomen, & crucem, & mortem audacter, &  
 sine rubore confitendum, & ad tormenta,  
 contumelias, & ludibria, si opus fuerit,  
 constantissimè perferendum. Certè vidisti,  
 quomodo hoc sacramentum Bene esse, &  
 gratiam, & fortitudinem, conferat anima-  
 bus.

bus. D O M. Vidi equidem, & Christi miserationes stupeo vehementer, qui huiusmodi remedijs nostris vulneribus suffragatur.

*Per sacramentum Eucharistia supra modum Bene esse, & multiplex gratia donatur.*

C A P.

L X X I I.

R A E M V N D V S.

**P**Ost Confirmationem sequitur Eucharistia, id est, bonae gratiae sacramentum, in quo praeter ceteris continetur & confertur omnis gratiae plenitudo. Videmus, quod in vita corporali primum praecedit Generatio; deinde sequitur Augmentatio, per quam homo perducitur ad plenam vitam: ita tertio, requiritur Alimentum, quo omnis vita perduret in esse. Pari modo est in vita spirituali: Nam in baptismo spiritualiter nasceris: in confirmatione augmentaris: & Eucharistia aleris, & enutris: quod fit, ut in vita spirituali conserueris, & complearis.

D O M I. Sed quo cibo alit nos Christus in hoc Eucharistiae sacramento? R A E M V N. Non alio vtrique quam seipso, sua carne, suo sanguine, sua diuinitate, quae realiter & veraciter in hoc sacramento continentur. Ecce hoc est pabulum amoris, esca dilectionis, ferculum ardentissimae pietatis, quo te nutrit Deus tuus, redemptor tuus. Sicut enim nutritio corporalis fit per calorem  
natura

naturalem, qui si defecerit, iam nutritio cessabit, sic & nutritio spiritualis per calorem fit: spiritalem, hoc est per amorem. Et sicut calor naturalis conuertit nutrimentum in rem nutritam, ita amor conuertit amatam in rem amatam. Corporalis tamen nutritio & spiritualis fiunt cōtrario modo. Nam in corporali alimentum vertitur in naturam aliti, sed in spirituali alitum in naturam vertitur alimenti. Manducans enim Christum, nō in te Christus mutatur, sed tu mutaris in Christo, formam & imaginem, & Christi similitudinem verè recipiens, atq; ita Christo cōiungeris, & eius membrum efficeris. Hinc iā intelligis, quomodò hoc sacramentum scala sit, in qua per res visibiles ( vt sunt forma panis & vini ) homo ascendit ad Christum, & Christus descendit ad hominem. Istis rebus visibilibus accedit sermo Christi, & verū Christi corpus efficitur, & verus sanguis. D O M. Quomodò tu mihi ostendis, quòd potestare verborū Christi panis, qui in altari est in Christi carnem transformatur? R A E M. Credis Christum Deum esse, & creaturas omnes verbo formasse? D O M. Credo equidem. R A E M. Si ergo potuit verbo naturam creare, quare non poterit naturam cum voluerit verbo traducere? Nūquid erit infirmior sermo Christi

ε

Christi

Christi transmutando naturam, quàm cre-  
 ando? Vt autem noueris, quòd Christi ver-  
 ba id realiter efficiunt, quòd dicunt, his ra-  
 tionibus poteris edoceri. Prima ratio: Om-  
 nino necesse est, q̄ verba creatoris ase-  
 dant vnum gradum supra verba creati ho-  
 minis: sed hominis verba semper significat,  
 etiã faciunt quòd dicunt. Secunda: Verba  
 hominis aliquando sunt falsa: vt ergo vnũ  
 gradum ultra tribuamus verbis Christi,  
 oportet necessariò afferere, quòd semper  
 sunt vera: idè in veritate operantur quòd  
 loquuntur. Tertia: Sicut creatura habet vir-  
 tutem transmutãdi in se aliam creaturam,  
 (nam caro humana mutat panem in suam  
 substantiam) multò magis verba Christi  
 sua virtute panem in altari vertunt in suã  
 carnem, & vinum in sanguinem. D O M. Li-  
 benter assentior rationibus tuis, nam &  
 veræ, & firmissimæ sunt. Sed nunc quæso  
 paucis ostende, quomodò hæc visibilia in  
 hoc sacramento interiorem gratiã repræ-  
 sentent. R A E M. Pareo libens. Sicut enim  
 panis & vinũ sunt ipsius corporis plena re-  
 sectio, ita corpus Christi quòd sub his spe-  
 ciebus continetur, optimo spiritali cibo ani-  
 mam refocillat. Prætereà, Sicut panis super  
 omnes cibos corpus nutrit, & sustentat, &  
 vinũ lætificat, & inebriat: ita corpus & san-  
 guis

guis Christi animam reficit, nutrit, letam iu-  
 cundam, atq; ebriam reddit. Præterea: Sicut  
 ex multis granis panis fit, & ex multis aci-  
 nis vinum confluit: ita in hac sacramenti  
 perceptione multi Christiani in unam fidem  
 Christo iunguntur, & fiunt cor. unū, & ani-  
 ma una. D O. Ex hoc postremo patet, quod  
 per formam panis & vini duplex inuisibile  
 denotatur, scilicet verū corpus Christi vir-  
 gineum, quod in hoc sacramento continetur,  
 & corpus Christi mysticū, ecclesia sci-  
 licet in prædestinatis, quod non realiter, sed  
 significatiue representatur. Verum tu vl-  
 tra progredere. R A E. Audi igitur consequen-  
 ter: Sicut res corporales, panis & vinum, in  
 hoc sacramento in eam ascendunt dignita-  
 tis & nobilitatis eminentiam, qua nulla po-  
 test celsior æstimari, (transcunt enim in  
 corpus Christi glorificatū) ita per hoc sa-  
 cramentū boni Christiani sublimantur, deifi-  
 cantur, & in Christū conuertuntur, & effi-  
 ciuntur cum eo vniuersæ voluntatis, amoris, &  
 germanitatis. Præterea, sicut panis viniq;  
 substantia formis exterioribus in Chri-  
 sti carnē & sanguinē occulta virtute conuer-  
 titur, ita per hoc sacramentū anima Chri-  
 stiani in Christi animā, & deitate occulte  
 permutatur, corpore in sua specie permanē-  
 te. Præterea, sicut per verbū suū Christus

res visibiles vertit in corpus suum, ita in hoc sacramēto vertit corda animasq; piorum in semetipsum. Præterea, sicut in hoc sacramento panis corporeus aliam naturam induens multò melior efficitur: ita corpus Christiani dignè cōmunicantis melioratur, & castum, mundum, sanctum, & Christi obsequijs deditum, & rationi subditum efficitur. **D O M.** Magnifica sunt quæ loqueris, & quæ vehementer in amorē huius dignissimi sacramenti mentem hominis inflammant. Hinc claret, quòd virtute huius optimi cibi Christianus enutritur, roboratur, completur, perficitur, & ad vltimū bonitatis terminum, quantum in hoc mūdo possibile est, acceleratur.

*Quòd caro christi est penitus contraria corrupta carni primi hominis.*

**G A P. L X X I I I.**

**R A E M V N D. V. S.**

**E**X his, quæ iam diximus, facile potes animaduertere, mi Dominice, quomodo primus homo, & secundus, scilicet Christus, cōtrariantur, ita & caro Christi est omnino contraria carni protoplasti. Habet enim proprietates operantes respectu animæ longè diuersas. Nā caro primi hominis causat in anima omnē corruptionem, infectionem, perditionem, & mortem: sed caro Christi

Christi confert animæ se sumentis integritatem, puritatem, vitam gratiæ, & vitam gloriæ. Præterea sicut caro corrupta in Adâ turpiter, lididinosè per coitum generata, est causa quicquid anima experitur malis: ita caro Christi, mundissimè sine coitu de virgine orta, erit animæ humanæ causa omnis virtutis, iustitiæ & salutis æternæ. Præterea sicut ipsi animæ imputatur originale peccatum, eo quod vnitur carni vitiatæ: ita dum anima copulatur carni Christi sanctissimè, ab omni peccato immunis efficitur, & omne Christi meritum cõpartitur. Præterea sicut caro Adæ est arca omnium vitiorum, omnium criminum, lordium, & malorum: ita caro Christi est arca omnium virtutum, omnium bonorum, & thesaurorum spiritualium omnium. Præterea sicut caro prima separat animam à societate & amicitia Dei, & facit eam sociam diaboli: ita caro Christi iungit animam Deo, & æterna pace confœderat. Et sicut diabolus per Adæ carnem animas rapit, & occidit: ita Christus sua carne animas aucupat, & viuificat. Præterea sicut anima sociata suæ carni per voluntatem, & amorem, mille sordibus & vitijs inquinatur: ita si societur per amorem carni Christi, complacendo, & in ea delectando, ab omni spurcitia emundatur.



tur. n o m. Hoc pestremum non est perfun-  
ctorie transeundum. Duplicem ego animæ  
rationabilis societatem cum carne confi-  
sido. Vnā habet cum sua carne, & hæc est  
naturalis: aliam habet cum carne Christi,  
& hæc est voluntaria, & meræ dilectionis,  
Per primam vnionem recipit caro vitā ab  
anima, sed per secundam vitam accipit ani-  
ma à carne Christi, per quam deitati in pa-  
cis fœdera copulatur. Et quoniā anima ma-  
gis illic est, vbi amat, quā vbi animatur: idē

Nota du anima Christi, carni per amorem sociata, tā  
plicē ani sancta, tam virtuosa efficitur, quōd à carnis  
mæ cum suæ copula, possit, nullatenus maculari. Et  
carne so merito anima plus tenetur Christi carnem  
cietatē. diligere, quā suam, quæ verberata, passa,  
cruCIFIXA, & occisa pro animæ salute & pro  
omnibus peccatis quæ à sua carne con-  
traxit. Huic igitur Christi carni si ani-  
ma per amorem inhæserit, carnis suæ cor-  
ruptione deceterò maculari non pote-  
rit. Sed da veniam, quōd ego verbosus tuā  
sententiam interrumpo. R. A. E. Non inter-  
rumpis: sed quod ego ex abrupto protuli, tu  
magis elucescere facis. Est præterea adhuc  
vnum, quod in differentiam vtriusq; carnis  
dicturus sum, & sic quieturus: Sicut prima  
caro corrupta multiplicatur, & diuiditur in  
multas portationes, & ex consequenti sic  
causa,

causa, quare animæ multiplicentur, & cor-  
rumpantur, & abinuicem, & à Deo separen-  
tur: ita caro Christi quæ vna numero est,  
efficitur ratio vnionis animarum: & om-  
nes animæ Christianæ, quæ per propriam  
cuiusq; carnem fuerunt abinuicē, & à Deo  
remotæ, per Christi carnem, cui per amorē  
copulantur, fiunt cor vnum, & anima vna,  
inter se, & cum ipsa deitate æterno pacto  
foederatæ: n o m. Præclare admodū, & per  
magnificē. Vt quoniam omnes animæ hu-  
manæ ab vno exeunt creatore Deo, & mul-  
tiplicata carne crebro multiplicantur, & cor-  
rumpuntur: ita demum per Christi carnem  
vniuntur, purgantur, & ad Deum, qui eas cō-  
ditit, reducuntur. Et sic caro est causa mul-  
titudinis animarum, & causa vnionis. Caro  
est causa quare à Deo exeunt, & causa qua-  
re ad Deum redeunt. Caro est causa perdi-  
tionis animarum, & causa salutis earum.  
Hæc omnia operatur caro, sed non vna &  
eadem caro; sicuti nunc evidentissimè de-  
monstrasti. Sed cum necesse sit omnes Chri-  
stianos hac vera Christi carne cibari, quo-  
modo potest vna caro tot homines diuer-  
sis locis & temporibus pascere? & tamen  
vna numero cum sit, non posse diuidi, nec  
comesta consumi.

Corpus

*Corpus Christi vnum numero, quomodo possit simul & semel esse in pluribus locis.*

C A P.

L X X I I I I.

R A B M V N D V S.

**Q**uestio tua est, (ni fallor) quomodo Christi corpus, vnum numero, possit esse in pluribus locis. Questio certè difficilis, nulla humana industria dissoluendæ sed certa fide æstimanda. Non debet tamè mirum videri, si corpus Christi possit esse in multis locis, quando ipsa diuinitas, cui hoc corpus in vnitæte personæ sociatū est, tota sit simul in omnibus locis. Accipe præterea aliqua exempla, quibus hoc ipsum, quod petisti, possis vtcunque cognoscere. Primum, Sicut vnum verbum numero, vno ore prolatum, & in aëre multiplicatum, plures astantium aures mentesq; diuerberat: ita, & vnum Christi corpus numero, delectati coniunctum, multis potest locis haberi, multa Christianorum corda, & ora subingredi. Secundum, Vna & eadem dictio, siue illa magnis, aut paruis literis cōscripta sit, seu in multis, seu paucis redacta syllabis, semper idem significat: ita conformiter, nec parua, nec magna forma panis aliquid variat in corpore Christi: tātundem enim in parua continetur hostia, sicut in magna.

Tertium,

Tertium, Licet aliqua dictio multipliciter per varia synonyma, aut idiomata, propter hoc tamen significatum dictionis nullatenus multiplicatur: ita quamvis hostiæ multiplicentur loco, & tempore, non propter hoc tamē caro Christi multiplicatur. Quartum, Quandiu ipsa dictio suam retinet formam, & naturam, tandiu ipsa significatio manet: ita etiam donec forma panis in sua manebit natura, semper intus permanet corpus Christi. Verum quia quælibet pars hostiæ habet speciem, & nomen panis, siue parua sit illa, siue magna, idē sub qualibet parte notabili est totus Christus. Quintū, Sicut speculum quantumcunque magnum non recipit in se nisi vnā imaginē vnus hominis, quod si frangatur in multas partes, in qualibet speculi parte tota patebit hominis imago, quæ prius apparuit in toto speculo adhuc integro. Pari modo sit vna hostia magna instar montis, non erit tamen in ea nisi vnū corpus Christi: quōd si illam hostiam frigeris in mille partes, in qualibet parte erit totus Christus, vnus numero, in singulis, & in omnibus vnus.

D O M. Sufficiens his exemplis optimis imbutus sum, vt intelligam, & in multis locis, & in singulis hostiæ effractæ partibus vnū numero Christi corpus cōtineri.

Sed ostende obsecro, quomodo integrum, & perfecta quantitate sub tam paruis hostiæ partibus corpus Domini habeatur.

**R. A.** Corpus Christi cum sit spirituale, est in animæ naturam (quâ tum id fieri potest) transmutatum: videmus enim quod anima nostra ea quæ in se recipit, in suam naturam convertit: unde dum recipit, hæc litteram a, facit eam continuo spirituale: & quæ prius erat nigra, vel rubea, longa & lata, fit in anima mere spiritualis a, sine colore, sine aliqua quantitate. Ita conformiter corpus Christi iam glorificatum, & spirituale, factum, non occupat locum: & ideo potest sine pondere, sine longitudine, sine profunditate totum integrum in vno indivisibili puncto verissime contineri. præterea videmus palam, quod imago, seu species rei corporalis, quantumlibet sit magna, est tota simul, nec lata, nec profunda, nec ponderosa, nec grossa, licet longa esse, & grossa videatur. Vna enim magna Ecclesia, seu amplissima ciuitas, tota atque integra ingreditur sub imagine pupillam oculi nostri, quæ est instar puncti indivisibilis. Homo præterea dum dormit, totam videt ciuitatem in somno, in sua specie, quæ punctalis est. Cum igitur corpus Christi magis sit spirituale quàm quælibet imago rei corporis, quæ per pupillam

pupillam intrat : ideo non tibi mirum videri debet, si possit totum simul in puncto, & sine sui diminutione sub breuissimis hostię particulis contineri. Veniens enim Christus in sacramento propter animam, vt eam sibi vniat per amorē, ideo debet ibi eo modo contineri, quo possit animę efficacius applicari. D. P. Satis me instruis, non oportere me in hoc sacramento quicquā de Christi corpore quærere, aut scrutari, quod sit, vel quātum, vel coloratum, vel saporū, vel aliquo sensu obuium, hoc enim brutescere est: sed solum rem spiritale cogitare, & non aliud præcisè, quàm quod verba ipsa significant. Hoc est enim corpus meum. R. A. E. Equidē hoc sanè compræhendis. nam quod videtur in sacramento, est sicut vox, quę extra percipitur: & hoc quod illic intus continetur, est sicut significatum vocis, quod intelligitur. Et sicut ipsum significatū non est longum, neq; latum, &c. ita Christi corpus in sacramēto ab omni est quantitate & qualitate remotū. Accipe itē aliud exemplū: Sicut aliud est, forma panis, & aliud substantia panis, forma enim panis videtur vel in speculo, vel in somno, nō tamen substantia panis: ita in hoc sacramēto vera species est, & forma panis: sed panis substantia nulla est, quia mutata est in corp⁹ Christi, virtute verbo-

verborum eius. Et idèd sicut se habet sub-  
 stantia panis ad panis formam, ita se habet  
 corpus Christi ad ipsas species quæ vidètur.  
 Et quia panis substantia solo percipitur in-  
 tellectu, & nullo sensu: ita corpus Christi in  
 sacramento loco illic substantiæ panis exi-  
 stens, intelligi potest, sed nõ sentiri. Porro si-  
 cut substantia panis, in se considerata, non  
 est nec longa, nec lata, nec aliquo percepti-  
 bilis sensu, nec locum occupat, & vbiq; est  
 panis forma, illic est similiter tota panis  
 substantia: nec plus substantiæ continet ma-  
 gna forma, quàm parua: ita & corpus Chri-  
 sti non est nec quale, nec quantum, & reli-  
 qua, vt iam patuit. D O M. Sed quid cen-  
 sendum est de illis formis, quæ remanent  
 substantia transmutata? R A E M. Formæ  
 illæ non incongruè appellari possunt acci-  
 dentia, indumentum corporis Christi: indu-  
 mentum inquam alienum, extraneum, peregrin-  
 um. Ipse enim formæ sacramentales panis,  
 & vini, quæ antè habebant conditiones ac-  
 cedentis, & inhzrentis, recipiunt nouum mo-  
 rem, multò nobiliorem, & altiorem morem  
 substantiæ, quia per se subsistunt, & nullo  
 substantiæ adiumento fulciuntur. Omnia  
 ergo in hoc sacramento dignificantur: quia  
 panis fit corpus Christi, & species eius mo-  
 dum recipit substantiæ per se subsistentis. De-  
 bet

bet igitur species panis, & vini, in magna veneratione, & honore, & pietate seruari, & coli, tanquam vestimenta vnigeniti filij Dei, & regis sempiterni. **D O .** Ex his patet, magna Christi saluatoris benignitas, & profunda humilitas, qui propter nos cibandos tam humili dignatur, & simplici indumento vestiri. Primum indutus est, vt nos redimeret veste nostræ mortalitatis, Secundo, vt nos aleret induit se vestimento panis. Primam vestem ipse sibi fecit, secundam homo componit. Primam sumpsit ex utero virginis, secundam induit in sacrificio altaris.

*De quarto sacramento, scilicet Pœnitentia, per quam lapsus à Christi gratia Christianus reparatur, & Bene esse ei restituitur.*

C A P.

L X X V.

R A I M V N D V S.

**N**Vnc de sacramento Pœnitentię utiliter pauca loquamur. Videmus, mi. Domine, quod in vita corporali cōtingit hominem morbum mortalem, & periculosum incurere, quo vitam perimet temporalē. Pari modo Christianus in vita spiritali potest ægritudinem, hoc est mortale peccatum incurere, per quod vitam amittat spiritalem. Gratia enim cum non sit de natura liberi



liberè arbitrij, (quia aliud est Dei gratia, aliud natura) idè eam Christianus sponte aut contènere, aut perdere potest: quod dū fegerit, tunc reuera infirmus efficitur, morbidus, & morti proximus. Sicut enim membrum illud in periculo est, quod influentiā non sumit à capite: ita Christianus periclitatur, dum nō recipit influxam à Christo saluatore, sed est morbidus, & moribundus. Verū quemadmodum corporalis infirmitas medicinis, & potionibus curari solet: ita morbi spirituales remedijs spiritualibus reformantur: & idè benignissima Christi miseratio contra vitia & peccata, in quibus quotidie labimur, & ad mortē disponimur, sacramentum instituit Pœnitentiæ. **D O M.** Si Pœnitentia (vt asseris) est sacramentum, quæ sunt illa signa exteriora, quæ inuisibilem intus gratiam repræsentant? **R A E M.** Duo sunt visibilia signa: Primum est in pœnitente, & sunt facta, & verba exteriora, quæ significant, & declarant id, quod occultum est in corde, & inuisibile: odium scilicet, detestatioq; peccati. Secundum est in sacerdote, qui tenet locū Dei, & est ipsa absolutio, quæ fit in isto sacramento per verba quæ remissionē exprimunt peccatorum. Ista duo exteriora signa duo inuisibilia intus ostendunt. Nā accusatio in pœnitente significat

significat peccatorum suorum detestatio-  
 nem: & verba sacerdotis, quæ sunt, Absol-  
 uo te, &c. significant peccatorum remissio-  
 nem. Ad culpæ enim destructionem duo  
 sunt necessaria, scilicet peccati remissio,  
 quam tribuit Deus: & peccati detestatio,  
 quam sibi assumit homo reus. Primò igitur  
 tenetur peccator, qui vult veniam, & gra-  
 tiam mereri, dolere, tristari, gemere, suspi-  
 rare, lachrymari. Secundò, quia radix omnis  
 peccati est mala voluntas, idè ad destru-  
 ctionem peccati necessario oportet vt ho-  
 mo proponat firmissima voluntate, nunquã  
 se vltra velle Deum offendere. Tertio, vt  
 ex imo cordis homo cognoscat, & fateatur  
 se in Deum sua malitia deliquisse. **D O M.**  
 Male igitur pœnitet, qui vel fatum, vel  
 Deum accusat, hoc pacto cupiens sua sce-  
 lera palliare, instar Adæ, qui sub folijs la-  
 titans facinus suum in Deum retorfit. **R A T**  
**M V N.** Quarto, vt habeat optimam spem,  
 ab indulgentissimo patre Deo se posse &  
 veniam, & gratiam promereri, ne more Iu-  
 dæ proditoris dolens pœnitensque despe-  
 ret. Quintò necesse est eum non solum pec-  
 catum odisse, ac detestari, sed etiam cun-  
 ctis viribus illud impugnare, persequi, pe-  
 rimere, & intus forisque ore, & corde acri-  
 ter accusare, & modis omnibus verbo  
 & facto

& facto destruere, aliàs veniam non poterit emereri. **Q. O.** Meritò id quidem: Nam peccatum cum sit acerrimus, & nequissimus hominis inimicus, separans eum à Deo, & ab omni bono, & obligans eum tormento sempiterno, idcirco summo conamine debet se còtra illud homo robustus erigere, & sub pedibus proiectū, & oppressum crudeli animo strangulare. Sed tu quæso ultra prosequere. **R. A. B.** Peccatū cum sit etiam insidiator occultus, & clam semper molietur insidias, cupit enim se celare, operire, occultare, & quia inimici hominis domestici eius, idèd necesse est, vt per confessionem prodatur, releuetur, vt appareat confusio turpitudinis eius. Nō potes illi hosti tuo durius indacere bellum, nec acuiorem inferre còfusione, quàm si illum, dum latere voluerit, prodideris, & vituperijs, & contumelijs dignum sacerdoti monstraueris. Superbum enim est omne peccatū, & idèd maxime ab illo declinat, à quo se manifestari cernit, & haberi contemptui. Est præterea deceptiuū, & fraudulentū, & idèd vt deceptor, & falsarius accusari debet, iudicari, & puniri. Debet igitur poni in iudicio, & contra eū ferri sententia, vt cum iudicatur exeat condemnatus, explosus, irrisus. Hunc igitur teterrimum hostem cum taliter homo fuit persequutus, & illū

à se

à se proiecerit, & occiderit, statim virtute  
 sacramenti pœnitentiæ redit ad pacē Dei,  
 & in amicitiam Christi, & accepta omnium  
 peccatorum suorum remissione gratiam re-  
 cuperat quam amisit. Certè iam vides, quo-  
 modò hoc sacramentum operatur etiam Be-  
 ne esse animæ: quia veniam tribuit, & grā-  
 tiam refundit. Vides quoq; quomodò Pœni-  
 tentia sit secunda tabula post naufragium,  
 secunda scala post baptismum, per quam  
 Christus collapsus iterum ascendit ad Chri-  
 stum. In qua scala sunt tres gradus, scilicet  
 Dolor cordis, Confessio oris, & satisfactio  
 operis. **D O M.** Infinita nunc apparet Chri-  
 sti dulcissima miseratio, qui homini se con-  
 temnenti, & grauem iniuriam facienti, tale  
 contulit reconciliationis antidotum, tale  
 suorum vulnèrum remedium. Hinc summa  
 datur homini peccatori securitas, cum vi-  
 det se ab eo, qui offensus est, in gratiam pa-  
 cemq; vocari. **R A E M.** Omnino necesse  
 fuit Christiano peccanti talem clementiæ  
 manum protendere, ne propter immanita-  
 tem sui reatus aliquotiens desperet. Multò  
 enim grauius, & profundius cadit post ba-  
 ptismum, & acceptam tantam Christi gra-  
 tiam, quàm antè. **D O M I N.** Oio te vt  
 aliquātulis id mihi rationibus demōstres,  
 v. Homo

*Homo Christianus multò periculosius ca-  
dit post acceptam Christi gra-  
tiam, quàm ante.*

C A P.

L X X V I.

R A E M V N D V S.

**D**iximus supra, quòd quando primus pa-  
rens cum sua lobole à statu, in quo il-  
lum Deus creauerat, recessit, statim in a-  
lium statum collapsus est. Cadens enim à  
Deo, & à statu optimæ naturæ, cecidit in or-  
dinem iustitiæ, obligans se pœnæ tempora-  
li, atq; perpetuæ. Pari modo homo Christi  
sanguine, & baptisate renatus, dum rece-  
dit ab hoc dignissimo statu, in ordinem ca-  
dit iusti iudicij. Et tantò grâuioribus suppli-  
cijs est dignus, quantò maiora sunt sacra-  
menta quæ contempsit. Præterea sicut mul-  
tò difficilius Deus hominẽ redemit, quàm  
condidit: condidit enim sine labore, sed  
vsque ad mortem fatigatus est dum redime-  
ret: Præbuidisti mihi (inquit) laborem in pec-  
catis tuis: idẽ multò infelicius delinquit,  
qui ingratus contemnit se redemptum,  
quàm conditum. Tertio, peccans ante ba-  
ptisum in solum delinquit creatorem, sed  
qui ingratus post baptisma iam peccat, crea-  
torem offendit & redemptorem, atq; hoc  
modo & culpa geminatur, & pœna. Quar-  
tò, peccat etiã in totum corpus Christi my-  
sticum,

sticum, quod est Ecclesia sanctorum, à quo ipse se diuidit, & vnum de Christi membris abscindit. Quintò, sicut pro reparatione hominis lapsi necesse fuit Deum hominẽ mori: ita necesse est ad reformandum hominem secundo lapsum post baptismum rursus I E S V M Christũ occumbere, quia peccatum destrui non potest, nisi morte filij Dei. D O M. Sed nunquid Christus iterum debet crucifigi iam factus immortalis? Nunquid non vna mors sua sufficit ad totius orbis exhaurienda peccata? R A E. Sufficit equidem: sed toties Christus mysticè immolatur, quoties in expiationẽ scelerũ nostrorũ mors sua humili memoria reuocatur. Qui enim peccat, rursus sibi Dei filium occidit, & non potest huius sceleris veniam promereri, nisi Christi mortẽ iterum reuocet, & passionem suam in memoria portet, deuotione, cõpensione, fide. Quod quia paucissimi faciunt, ideo peccatũ regnat, & Pœnitentia omnis euacuat: vice versa, dum homo eã sibi applicat per memoriã pœnitentia mediante: quod dum fecerit, ita illud gratum accipit Christus Dominus, tanquam si ipse eã pro se mortẽ pertulisset atq; hoc modo regeneratur, renouatur, rebaptizatur, non vndis baptismatis, quod iterari non potest, sed roseo sanguine agni

v 3 imma-

immaculati Christi. D O M. Cùm enim in  
 hoc lapsu post baptismum homo teneatur  
 nō solum intus grauiter ingemiscere, sed e-  
 tiam cōdignā suis malis foris pœnitentiā  
 agere: cumq; ipsum peccatum sit infinitum,  
 & æternum, eō quōd in Deum optimū com-  
 missum sit, qui est infinitus, & interminabi-  
 lis: quomodo poterit homo fragilis, & mor-  
 talis huiuscemodi pœnitentiā ad vnguē  
 vsq; cōplere? Quomodo poterit homo fini-  
 tus rē infinitā terminare? R A E. In quolibet  
 peccato mortali tria oportet animaduerte-  
 re: Primū est, ipsa offensa, & contēptus Dei.  
 Secūdum, ipsa operis nequitia, quæ penitus  
 inordinata est, & fieri non debet. Tertiū, est  
 id, quod est in peccato voluntarium: quæ  
 sunt consensus, delectatiō, & rei pessimæ  
 complacentia. Hæc duo vltima sicut finita  
 sunt, & terminum habent, ita & pœnam me-  
 rentur temporalem, terminabilem: sed il-  
 lud primum pœnitentiā exigit infinitam.  
 Verū quia omnis culpa solū potest per  
 displicentiā, tanquā per Tuum contra-  
 rium: idē si homo coeperit detestari ex ani-  
 mo malum quod fecit, & assumere dolorem  
 infinitum pro infinito offenso Deo, culpæ  
 & pœnæ perpetuæ veniam obtinebit. D O.  
 Adhuc permanet quod quærebam. Quomo-  
 dō quis poterit accipere displicentiā in-  
 finitam?

finitam? nunquid ad impossibile, nos obligat Deus? **R. A. N.** Non te obligat Deus, sed tu teipsum: noli peccare, & longe à te erit obligatio ista infinita. Sed agnosce nunc quàm sit homini lapsò Christi miseratio necessaria. Nam quia homo miserandus non potest in immensum dolere, nec culpam infinitam destruere, ideo illi prætrogat passionem suam miserator Christus: quæ cum sit infiniti pretij, facillè culpam subruit infinitam. Et ideo mors Christi iuncta cum hominis poenitentiâ, culpam destruit, prout est offensa Dei. Verùm quia culpa est etiã inordinata, & voluntaria, ideo debetur ei poena temporalis, iuxta qualitatem culpæ: & hæc reservatur iudicio sacerdotis, si est occulta: vel publici iudicis, si est manifesta.

**D. O. M.** Hinc pulchrè apparet, quàm necessarium sit poenitentiæ sacramentum, in quo facta occulta confessione tale secretum iudicium celebratur. Sed rogo, nunquid post factam condignam poenitentiam homo Christianus pristinae redditur sanitati?



sicut Baptismus dimittit reliquias primi lapsus in carne, ita Pœnitentia relinquit reliquias secundi lapsus in anima: & quomodo expiatur.

C A P. L X X V I I.

R A E M V N D V S.

**D**icam tibi ad tuam quæstionem quod te scire oporteat. Sicut se habet Baptismus ad primum lapsum, ita se habet Pœnitentia ad secundum. Sed Baptismus detrahunt reliquias in ipsa carne, ut supra patuit ita & Pœnitentia relinquit nonnullas reliquias in anima. Agnosce itaque, quod post perpetratum peccatum duo remanent. etiã opere transeunte: scilicet offensa, seu iniuria Dei, cui annectitur obligatio temporalis & perpetuæ pœnæ. Alterũ dispositio & inclinatio, ad similem nequitiam perpetrandam. Actus enim humani eam habent conditionem, quod semper suam in mente relinquant imaginem: & per hoc dum malum crebrò iteratur, nascitur quædam consuetudo voluntaria malam operationem delectabiliter consummandi. Hoc gentilis Poëta considerans, ita canit,

*Sed quia delectat Veneris decerpere flores,*

*Dicimus assidue, cras quoq; fiet idem.*

Ista autem inclinatio, seu habitatio, vitium quoddam est in anima generatum: & hoc

Reli

De peccatorũ reliquijs.

Reliquias dicimus peccatorū. In omni quip  
 pe peccato fit auersio à Deo, & conuersio  
 inordinata ad creaturas, & istud totū voca-  
 tur Mortale peccatū, quia animam mortifi-  
 cat, & pœnis destinat sempiternis. Verūm  
 dum homo auersus ad Deū per pœnitentiā  
 redit, tollitur quidē mors animæ & pœna  
 gehennæ, manent tamen, p̄pter crebram  
 quam habuit in creaturis delectationem,  
 quædam reliquiæ, quæ animā ægram lan-  
 guidamq; relinquunt, vt nō possit tota vir-  
 tute in amorem sui assurgere redemptoris,  
 instar eius, qui cura alicuius medici de por-  
 tis mortis abstractus, adhuc iacet valitudi-  
 narius, & infirmus, eò quòd nondū mali cor-  
 poris humores purgati sint. D O M I. Placet  
 apprimē quod dicis. Sed hæ reliquiæ quæ  
 medicina poterunt purgari? R. A E M. Tria  
 sunt optima remedia, quib⁹ ocys repurgen-  
 tur. Primum est crebra, voluntaria, fidelis,  
 & verecunda confessio; quæ quantò fuerit  
 frequentius cum gemitu repetita, tantò  
 efficacius medelam ægro cordi largitur.  
 Secundum est deuota Eucharistiæ mandu-  
 catio. Nam ex quo hæ reliquiæ vitiosæ im-  
 pediunt animam, ne possit in Christum per  
 amorem assurgere (cōparatur enim pigritie  
 frigidisq; humoribus) & quia sacramentū  
 Eucharistiæ, est sacramētū amoris & ignis,

& cibus ardentissimæ charitatis, ideò dum  
 sumitur ab anima languente, frigida, & in-  
 deuota, quicquid illic vitiosum est, suo igne  
 comburit, & inclinationibus pristinis expul-  
 sis, habitus inserit optimos, & primis longè  
 contrarios. Hoc modo anima purgatur, it-  
 luminatur, perficitur, vt iam non sit quod  
 antè fuerat. Præterea per hoc sacramentū  
 homo maximè vnitur morti & passionibus  
 Christi, quæ omnia mala nostra citius ex-  
 pellunt: ac perinde homo consequitur non  
 solum culpam, verum etiā poenarū & reli-  
 quiarū purgationē. D O M. Hinc optimè li-  
 quet, quòd ex quo homo potest frequenter  
 cadere in mortale peccatū, ideò debet se di-  
 ligenter exercitare in istis duobus sacramē-  
 tis. Nam per poenitentiam homo resurgit à  
 lapsu, & vitam recuperat, & amicitiam Dei: &  
 per Eucharistiam contra reliquias vires resu-  
 mit spirituales, & fortitudinē ac robur mul-  
 tiplicat. Sed nūc de tertio remedio aliquid  
 dicito. R A B. Tertiū est voluntaria tribula-  
 tionum perpassio. Tribulatio enim & affli-  
 ctio retrahit animā à carnis delicijs, à mun-  
 di oblectationibus, ab inordinatis rerū peri-  
 turarū amoribus, & tanquam in camino ar-  
 denti animā purgat & clarificat. Dū enim  
 quasi quodā flagello cogitur ab amore re-  
 rum visibiliū recedere, ardētius & expedi-  
 tius

tius pergit in amorē Dei. Porro amor Dei  
 dū fuerit tribulationibus admixtus, reddit  
 eas leues, portabiles, voluntarias, iucundas,  
 meritorias, & supra modū animā repurgan-  
 tes. Atq; hoc pacto anima roboratur, illu-  
 stratur, perficitur, & inflāmatur, & cū Chri-  
 sto inseparabiliter vnitur. **D O M.** Nunquid  
 ad purificandā animam solus sufficit amor  
**C H R I S T I**, nisi etiam tristissimus iste  
 aduersitatum fornax associetur? **R A E M.**  
 Non utique. Anima enim humana cum ha-  
 beat liberum arbitrium, non cogitur ire ad  
 Christum, nec à suis abscedere voluptati-  
 bus, nisi ipsa velit. At quoniam delectatio-  
 nes animam ligant cum sua carne, ideò ipsa  
 tribulatio iam omnino necessaria est, quæ  
 instar mallei percutientis animam cogat  
 ad Christi amorem properare, atque inhæ-  
 rere. **D O M I N.** Inuenti sunt aliquando  
 nonnulli innocentes atque optimi viri, qui  
 magnis sunt aduersitatibus examinati, nun-  
 quid istis fuit tribulatio necessaria, cum ni-  
 hil haberent quod purgaretur? **R A E M.**  
 Difficilimum est aliquem tam innocen-  
 tem producere in medium, qui omnino ni-  
 hil in se habeat quod emundetur, cum in  
 multis deliquerimus omnes. Sed esto: Est  
 tamen semper tribulatio necessaria, & ad  
 purgandos vitiosos affectus, vt in pœni-  
 tenti

centibus: & ad tenacius animam, Christo  
 glutinandam, & feruentius vniendam, vt in  
 innocensibus. Hoc igitur firmissimè obser-  
 ua, quòd sicut sacramenta sunt animæ ne-  
 cessaria ad salutem, ita & tribulationes sicut  
 necessariae instar igneæ fornacis cum suis  
 follibus, vt aurum examinetur, purgetur, il-  
 lustretur. **D. D. M.** Libens assentior sermoni-  
 bus veritatis. Sed dicito mihi, cum mulei  
 hinc exeant nouiter poenitentes, de quibus  
 certum est, quòd nondum ad purum exco-  
 xerint scoriam peccatorum, nec ad liquidum  
 scelerum suorum reliquias purgauerint: Quid  
 rogo de istis in alia vita futurum reris?  
 Nunquid damnabuntur? Sed sunt poeniten-  
 tes. Nunquid ad gloriam transferentur? Sed  
 adhuc sunt in reliquijs & scæcis suorum

**De pur-** scelerum profuentes. **R. A. M.** Ecce hæc  
 gatorio: quæstio tua cogit nos omnino post hæc vi-  
 gne. tam locum ponere purgatorium. Cum enim

culpæ debeat plena poenitentia, hoc quippe  
 exigit diuina iustitia: ideo omnis anima  
 quæ non est in hac vita sufficienter poenita,  
 antequam transeat in consortium Dei, &  
 illam serenissimam omnipotentis faciem  
 possit aspicerè, necesse habet in alia vita  
 puniri, tribulari, atque ita purgari. Verum  
 quia diuina iustitia est in summo gradu iu-  
 stissima, & seuerissima, & malorum distri-

ctissima

Cuiusmodi persecutrix, ideo mala quæ per se-  
 metipsum Deus punit post hanc vitam, tan-  
 ta animaduersione pœnarum persequitur,  
 vt nulla mens id possit aliquatenus cogita-  
 re. Idcirco illa anima quæ insufficienter non  
 purgatur in curia misericordiz dura hinc  
 exit, cadens in manum iustitiz, amarissimam  
 experietur tormenta, omnibus huius mon-  
 di acerbitatibus grauiora. Et quantò pro-  
 fundius transennam rerum delectationes  
 in animæ medullas penetrauerint, tantò  
 profundius ad intima tormenta illa descen-  
 dent. Quod enim tenacius concretum est,  
 acrius eget confricatione. At quoniam o-  
 mnis purgatio fit per suum contrariũ, ideo  
 sicut anima est in blandis voluptatibus in-  
 quinata, ita acerbissimis ignibus expurga-  
 bitur, non tamen sine amore Dei in anima  
 existente, sine quo nulla tribuatio esse po-  
 test saluifera. D. O. M. O. quantò satius,  
 quantò facilius esset homini in hac vita  
 sua delicta mundare, quàm illis intolerabi-  
 libus supplicijs infeliciter reseruari, vbi est  
 & cruciatus amarior, & pœna productior.  
 Sed nos cæci, vecordesq; virtutẽ pœniten-  
 tiz vitæ huius dissimulantes, aut nescien-  
 tes, eam vsque in aliam vitam, nos sine ma-  
 ximo dispendio nostro, differimus.

Alia

*Alia quædam; quæ possunt inducere hominem lapsum ad pœnitentiam.*

C A P . L X X V I I I .

R . A E M V N D V S .

**V**ERùm tu dicis, omnes ad pœnitentiam segnes sumus, eò quòd ignoremus magnitudinem virtutis eius. Vnde si non tibi videtur importunum, introducam breuiter aliqua incitamenta, quæ hominem dirigant ad pœnitentiã. **D O M.** Quæso vt id ocys feceris, **R . A E M.** Primum quod hominem prouocat ad pœnitentiã est, quòd ipsa pœnitentia supra modũ placet altissimo Deo. Nã cum Deus nihil aliud detestatur, quàm ipsam peccati malitiam, eò quòd superba ceruicẽ cõra Deum rebellem se erigit: idcirco is: summè venit in gratiam Dei, qui toto corde, ore, atque opere peccatũ impugnat, cõfundit, destruit, explodit. Atq; ideò pœnitentiã spiritus cõtribulati est acceptissimum sacrificiũ Deo, & suauè fragrans in conspectu eius. Secundũ: Per pœnitentiã homo non solũ placet Deo, sed etiã vniuersis amicis Dei: Quia gaudiũ fit angelis Dei super vno peccatore pœnitentiã agente. Tertium: homo per pœnitentiã qui erat penitus destructus, & perditus, est æterna morte peremptus, reparatur, viuificatur, saluatur, & se suo cũ gaudio restituit creatori,  
in cura

in eum finē dirigendū, ad quem conditus & redēptus fuerat. Quartū: Per pœnitentiam homo pertingit ad visionē summi Dei, æterni Dei. Pœnitentia enim est præcipuum atq; optimum quo cor hominis mundatur, quod solum potest videre Deū. Idē beati mundo corde, ipsi enim Deū videbūt. Quintum: Maximē inducere nos debet ad pœnitentiam oculus diuinæ circūspectiōnis, quæ omnia secreta hominis intuetur. Debet igitur summopere pertimescere, ne teneat in corde suo inimicū Dei, ne ipsum hospitem, nutriat, diligat, defendat. Quis hominū in regno Hispaniæ auderet hospitio recipere & nutritre capitalem aduersariū regis ipso præsentē, videntē, contradicentē? quis auderet ingredi domū regis, & portare atq; obijcere oculis eius imaginem depictā inimici sui? Quis rursū tam ingratus auderet vivere de mēsa regis, & ipso scientē alere inde hostem suum? Pertimescat igitur homo peccator, ne si Deo videntē hostē suū hospitio cordis receperit, visionem experietur amarā, & cū ipso hoste in abyssum rotetur inferni. D O M. Quis non miretur indulgentem DEI clementiā, qui videt nos quotidie suos hostes hospitio recipere, amare, nutrire, defendere, & tamen dulcis miserator parcit nobis, & insuper nos fouet, defendit.



dit, protegit. Nos suis fauemus inimicis, & diabolo iuaiori pertinaciter inhæremus: ipse nos expectat, prouocat, & ad veniam clementer inquitat. R. A. B. M. Sextum: Ad pœnitentiam nos inuitat iustissima, & acerbissima peccatorum punitio, quicquid aut corde, aut voce, aut opere peccauimus, necesse est ante Dei hominis tribunal examinari, examinatum verò districtissimè puniri. Septimum: Ad pœnitentiam nos prouocat certitudo mortis, & horæ mortis incertitudo. Ideò homo peccator multò est omni amene ac furioso dementior, qui in tanta ambiguitate, & incertitudine labilis vitæ, audet ad vnam horam in suis sceleribus permanere, exponens se infelix æternæ mortis periculo. Octauum: Ad pœnitentiam nos impellit pretiosa mors Christi, & roseus sanguis eius, qui in remedium peccatorum effusus est. Hæc mors, hic sanguis, illi non prodesunt ingrato, qui pœnitentiam agere contempserit, qui clamantem Christi sanguinem, & ad gratiam inuisantem, surda aure transtulerit; cui æterna damnatio, verissimè manet, & supplicium sempiternum. D. P. M. Stupendum profectò est, quomodo possit homo ultra suum diligere peccatum, pro quo Deus & mortem pertulit, & sanguinè fudit? Quomodo potest seipsum perferre malum,

malum, qui nullas extra se res vult habere corruptas, non domū, non vestem, non uxorem? Quid tam morte dignum, quā animam atēndō victuram contemnere, & res citō perituras amare: terrena sectari, & cœlestia negligere: extra se omnem operā impendere, & ad seipsum nō semel introsūm aduertere: pulchrē omnia foris disponere, & internum decorem pro nihilo habere: aliarum rerum damna reformare, & proprios defectus inemendatos dimittere: ab alijs iustitię debitum exigere, & nullam sibi ipsi iustitiā prærogare: à nemine noceri velle, & seipsum cōtinuē iugulare: alios omnes velle cognoscere & seipsum nolle respicere. Sed cōprimo zelum meū, tu verō ad illa quæ restant sacramenta progredere.

*De quinto sacramento, quod est extrema Unctio, per quam datur homini Bene esse, & gratia.*

C A P.

L X X I X.

R. A. B. M. V. N. D. V. S.

**P**ost sacramentum Pœnitentię, de quo nunc satis diffusè locuti sumus, sequitur Extremæ unctionis sacramentum, per quod homo recipit Bene esse: quia disponitur, & præparatur ad sanctam sanitatem, & vigo-

& vigorem spiritualem. Curat enim hæc  
 vnctio omnem languorem, & morbū ani-  
 mæ, & reliquias omnes eliminat, & nonnun-  
 quā etiā corporis ægrotudines sanat. D. O.  
 Sed quare vocitatur hoc sacramentū, Vn-  
 ctio extrema? R. A. E. M. Quia extremo vitæ  
 tempore homini infirmanti, & mori inci-  
 piēti tribuitur. Ex quo enim necesse est  
 hominē hinc exire, & ad æternā requiem,  
 quam per pœnitentiā meruit, proficisci, &  
 quia animā à sua carne grauat, trahitur,  
 inficitur, maculatur, & debilitatur: idē in-  
 diget nouo vigore, vt in tam graui agone  
 mortis non succūbat, non titubet, nō despe-  
 ret: sed magis in Dei Amore roboretur, &  
 Christi desiderio copuletur. Duo quippe  
 præcipua sunt, quæ animā impediūt, ne re-  
 cto tramite peruolet ad Deum. Vnum est,  
 debilitas quædā ex peccato derelicta: aliud  
 est, congeries multorū venialium peccato-  
 rum quotidie exaggerata. Propter hæc duo  
 mala remouenda datur Extrema hæc vn-  
 ctio, per quam animæ debilitas roboratur,  
 & peccatū omne veniale diluitur: ita tamē  
 si debore illam vnctionē homo receperit,  
 & mentem suam ad Deū conuerterit. D. O.  
 Nunc, quæso, paucis ostendito, quid hæc vi-  
 sibilis vnctio interius operetur. R. A. E. Sicut  
 exterius vides quandā fieri medicationem  
 cum

cum oleo in ægrotātis corpore, ita significatur quòd introrsum anima per Dei gratiam curatur, & vt ad cœlū vel ocyus euolet roboratur. Prætereà ex quo mors ingressa est per fenestras nostras, ideò fit vnctio in septē corporis partibus. Vnguntur enim oculi, aures, nares, manus, pedes, labia, & renes, vt significetur ipsam animā hoc sacramento disponi ad plenitudinem sanitatis, deletis peccatis omnibus, quæ his septem corporis partibus cōmittuntur. Prætereà sicut oleum nō mixtū nitidum est, & serenū, ita hæc vnctio quæ fit simplici oleo conscientiam hominis mundā facit, & Dei gratia refulgentem. Verūm quia per hoc sacramentum fit curatio venialium peccatorū, ideò non datur paruulis, qui ignorant peccatum. Et quia in hoc sacramento requiritur deuotio sursum leuans, ideò non debet dari, nisi qui deuotè id postulant, mente ad superna porrecta. At quoniā datur per modum curationis, ideò non tribuitur nisi multū infirmantibus: vt exterior quasi medicatio interiorem animæ medelam significet. **D O M.** Cū per huiusmodi vnctionem corporalis infirmitas rarò adiunetur, quare hoc tali signo, quod falsum videretur, res verissima mōstratur? **R A E M.** Licet tali vnctione morbus corporeus nō sanetur, non

x. tamen

tamē propterea signum est est falsum: quia non datur ad corpoream curationem, sed ut sit signum quod sicut oleo corpus ægrotū perungitur, ita ægra intus anima spiritus sancti chrismate irroratur, per quod ipsa roboratur, vegetatur, alleuiatur, tranquillatur, lætificatur, & ut moribundi corporis molestias fortiter perferat solidatur. Hinc nunc breuiter animaduerte, inter Confirmationem, & istam Vnctionem pulchram differentiā. Confirmatio conficitur in oleo & balsamo; Vnctio autem in oleo solo. Illa in verbis fit indicatiuis, ista in verbis deprecatiuis: Oratio enim ægris necessaria est morituris, & ad Dei terribile iudicium migraturis. Præterea illa fit signo facto in medio frontis, ista in septē corporis partibus: illa datur tempore sanitatis, ista autem tempore male valetudinis: illa & adultis datur, & paruulis, ista solūm datur adultis. **U O M.** Breui admodū sermone sufficienter huius sacramenti virtutem atque necessariam utilitatem explicasti, ut meritō omnis qui in mortem vrgetur, illud debeat toto corde deuotus exposcere, recipere, completi, quo reliquæ leuantur, venialia dimittuntur, anima roboratur, & ad ingressum regni cælestis coopratur.

**Sextum**

*Sextum sacramentum est Ordo, per quod character imprimitur spiritualis potestatis, sacramenta salutis ministrandi.*

C A P. L X X.

R A E M V N D V S.

**S**icut iam satis animaduertisti, quod ista sacramenta quę nunc tractauimus, sunt homini lapsō necessaria: ita necessariū est, aliquos esse homines, qui hęc possint sacramenta conficere, & ministrare. Verūm quia hęc sacramenta sunt Christi, & nullus propria autoritate potest res alienas dispensare, idē necesse est, vt Christus ordinet viros aliquos, qui sua possint sacramenta hominibus in cōmune distribuere. Est igitur necessaria potestas in terris dispensandorum sacramentorum, Christo Domino id largiente, id ordinante. **DOMINIC.** Hinc ego duo esse necessaria hominibus ad salutem intelligo: Primum est, ipsa Gratia, per quam regenerantur, & perficiuntur. Secundum est, huius gratiæ per sacramenta ministrandi officium. Et in his duobus totum consistit humanę salutis complementum. Sicut enim ad generationem hominis concurrunt Deus Creator, & homo genitor (hic nempe carnem administrat, & Deus animam) ita in hominis generatione

x 2 per

per sacramenta, quæ res sunt visibiles, concurrunt etiam Deus, & homo: nã homo administrat corporalem sacramentorum substantiã, & Deus inuisibilem gratiam. Sacramentũ enim tenet modum corporis, & gratia est sicut inuisibilis anima. Et sicut in naturali generatione pater homo corpus tribuit, sed animam donare non potest: ita potestas ministrandi res sacramentorũ visibiles dari potuit hominibus: sed potestas gratiam creãdi, seu conferẽdi, penes solum residet saluatorem. Sed quare hoc sacramentũ (de quo nunc agimus) vocatur Ordinis sacramentũ? R. AB. In isto sacramento quædam grandis authoritas, & honoris potestas aliquibus viris tribuitur, qua supra ceteros homines altius eleuantur, & quibusdam gradibus attolũtur. Vbi autẽ est vnus altero superior, illic ordo sit necesse est, qui inter Christianos vnum attolit supra alterũ. Sicut enim omnia membra humani corporis in hoc conueniunt, quòd viuũt, quòd ealent, quòd nutriuntur, quòd mouentur, longè tamen differunt penes officia singulis distributa: ita omnes Christi fideles in fide, spe, & charitate concurrunt, sed dignitatis potestas vnum eleuat supra alium. Et idèò Christianam gentem in duos necessariò populos subdiuidimus: vnus sunt Laici, & vnus

& vnus Clerici. At quoniam Clerus distributione sacramentorum Christo proximè appropinquat, idè est Laicis dignior, sublimior, nobilior. D O M. Intellego Ordinem, cupio nosse, quare hîc Ordo datur per modum sacramenti : & an hoc sacramentum recipienti gratiam largiatur. R A E. Ex quo sacramentorum ministri dicuntur ab alijs separari, & attolli, idè necessarium est, vt hoc fiat per aliqua signa manifesta. Nam sicut Christianus, dum separatur per baptismum à nō Christiano, recipit characterem in anima indelebilem: ita dum homo Christianus accipit tā grandē potestatem supra ceteros, vt possit sacramenta cōficere, & cōferre, imprimitur ei character immortalis per aliqua signa manifesta atq; idè oportuit, vt talis potestas per motū largiatur sacramenti. D O. Sed nunquid iste character impressus, dum ordo confertur, gratia dici dect? R A E. Licet iste character sit res inuisibilis animæ impressus, non tamen est gratia, sed est quædam spiritualis potestas à Christo collata, quæ in æternum deleri nō potest. Nam quia alij Christiani assimulantur Christo per gratiā, idè oportet vt vltra hanc gratiam, quàm & isti in alijs sacramentis recipiunt, aliud quiddam ipsis in anima imprimatur, per quod supra alios eleuē-



tur, & Christo propinquius comparentur. Idcirco quamuis huiusmodi homo perdat gratiam sibi collatam, non tamen idè perdit hanc inuisibilem potestatem, quæ illi vt character indelebilis perseuerat. D O. Sed quomodò probas, rogo, quòd ista potestas non possit amitti? R A E M. Ista potestas ministrandi sacramenta non datur his, quibus datur, propter seipso, sed propter alios, quibus necesse est ex sacramentis accipere gratiã: idè oportet, vt etsi hi ministri suam gratiam peccando perdant, non perdunt tamen indelebilẽ potestatem. Prætereà si clericus posset suam amittere potestatem, dãna maxima Christiano populo prouenirent, quorum omnis tunc salus, vel perditio ad bonitatem, vel malitiam pèderet sacramenta donantis, essetq; nimis infeliciter nostræ prouisum sanitati. Prætereà, Ordo sacerdotalis, qui est inter omnes principalior, magnam habet cum libero arbitrio concordiam: Nã sicut liberum arbitrium est immortale, ita & sacerdotiũ: Et sicut liberum arbitrium, etiam si fuerit corruptum, est tamen naturaliter præ cæteris creaturis Deo proximum: ita & sacerdos, quãuis sit vitiosus, & sceleribus plenus, in potestate tamen qua fungitur semper permanet Christo propinquus. Nam ex quo sacerdos nihil gra-

tiaz

tiæ in anima tribuit, licet foris species vi-  
 biles administret: idè sua vel bonitas vel  
 malitia nihil efficit ad sacramenti virtutè,  
 ita tamen dum faciat, sicut fieri Christus  
 instituit. Quemadmodū enim homo æquè  
 generat, siue sit bonus, siue sit malus, & De<sup>9</sup>  
 æqualiter animā donat: ita bonitas, & mali-  
 tia sacerdotis nihil impedit, quin Deus o-  
 ptimus semper det gratiā sacramētis. Hinc  
 etiam patet, quòd homo aliquis Christia-  
 nus à sua gratia relapsus, potest nihilomi-  
 nus recipere ordinis sacramentum: quia nō  
 prærequirit bonitatem personæ, sed solūm  
 sufficit quòd sit Christianus. **D O M.** Quan-  
 tum ego considero, potestas quæ in sacra-  
 mento ordinis confertur, sicut hominis gra-  
 tiam non exigit, ita etiā neminem meliorè  
 reddit. Puto tamen quòd huiusmodi mini-  
 ster sicut cæteros antecedit altissima pote-  
 state, ita etiā debet magna sanctitate præ-  
 cedere, quia aliàs tam magnifica sacramē-  
 ta non poterunt ab eo dignè ministrari.

**R A E.** Rectè arbitraris. Qui enim res sacro-  
 sanctas administrat, tenetur ipse & sanctus,  
 & bonus haberi, alioquin in suā perniciē, &  
 perditionē elaborat. Quantū tamen attinet  
 ad sacramentorū virtutē, nihil officit alijs,  
 si malus & indignus fuerit. Hoc tamen ve-  
 rum est, quòd si is qui ordines recipit, fuerit

in gratia copiosius illi gratia cumulatur: si  
 malus fuerit, in suam quidem perniciē con-  
 secratur: sed tamen permanet consecratus,  
 & non magis præiudicat sacramentis, quā  
 malus apothecarius optimis à se conditis  
 medicinis. D O. Hinc luce clarius apparet,  
 quòd is, qui vult recipere Christi gratiam  
 in sacramentis, non debet ministrantis ma-  
 litiam cogitare: cū nullam tribuat sacra-  
 mentis virtutem, non magis, quā apothe-  
 carius qui medicinam conficit, qui tamen  
 non dat herbis virtutem, neque radicibus.

*Sacramentū Ordinis principaliter respicit, &  
 ordinatur ad sacramentum Eucharistiæ.*

C A P.

L X X X I.

R A E M V N D V S.

**N**Vnc superest, vt breuiter dicamus hu-  
 ius sacramenti respectum. Cū enim  
 certissimè constet, quòd sacramentum Eu-  
 charistiæ sit summum, & maximum o-  
 mniū sacramentorū, eò quòd ibi continea-  
 tur totus Christus Deus & homo: ideò sa-  
 cramentū Ordinis è directo, & præcipuè  
 respicit potestatem, quæ datur supra sacra-  
 mentum corporis & sanguinis Christi, &  
 propter hoc est principaliter institutū. Et  
 quia huius potestatis gradus est vltimus,  
 ideò

ideò necesse est ascēsum ad hūc fieri per alios gradus, hoc est potestates alias inferiores, donec perueniatur ad summū. Tinctor enim antequam ponat in panno crudo vltimū colorem, ac nobilissimum, primū inserit alios colores minus nobiles, qui viam faciant ad colorem vltimū. Et ideò ad sacerdotiū sex gradibus ordinatis fit sensim ascēsus. Primus gradus est potestas Ostiarij, secundus Lectoris, tertius Exorcistæ, quartus Accoliti, quintus Subdiaconi, sextus est Diaconi, vltimus Sacerdotis. Et quia tales personæ ab alijs distinguuntur & eleuantur, ideò oportet quòd sit quædā differentia visibiliter, & ideò ante omnia Tonsura præcedit, per quam tanquā in signo à Laicis separantur. Verùm quia sacerdotiū ( vt iam diximus) libero arbitrio cōparatur, ideò sicut liberum arbitriū est Deo proximū per naturalem virtutem, ita sacerdos est sacramēto Eucharistiæ maximè propinquus per potestatem sacerdotalem. Itē sicut omnes creaturæ per liberum arbitrium ad Deum copulantur, ita omnes inferiores gradus per Sacerdotium sacræ Eucharistiæ coniunguntur. Et sicut homo cōtinet in se omnes creaturas, ita & sacerdos præter sex gradus omnes etiam Christianos. Item sicut potestas liberi arbitrij est supra alias potestates naturales

naturales, ita natura sacerdotalis glorię omnes superat virtutes spirituales. Itē sicut per primum hominem Deus multiplicauit alios homines: ita per primum sacerdotem Christum alios multiplicauit sacerdotes. **D O M.** Sed nunquid propter solam Eucharistiā est sacerdotis potestas instituta. **R A.** Non: sed tamen (vt dixi) principaliter propter eam. Huic autem potestati iudiciaria potestas, quę in sacramēto pœnitentię necessaria est, copulatur: quia nemo potest dignè sumere Eucharistię sacramentum, nisi prius à peccato soluatur. Et sic sacerdos secundariò recipit potestatem iudicandi & absoluendi, quę potestas Clauis vocatur, eò quòd intromittat homines ad Christi corporis sacramentū, ad Christianorum cōsortium, & ad regnum cœlorum. **D O M.** Placet quod dicis, sed est aliud quiddam quod me permouet. Cùm nullus Christianus possit sibi ipsi dare potestatem supra sacramentum corporis Christi, idè videtur oportere eam ab alio quodā superiore recipere: & quia non est procedere in infinitū, idcirco oportet sistere in aliquo maximo sacerdote, supra quem nemo sit. **R A.** Dixi paulo ante omnia sacramenta profluere à Christo maximo sacerdote. Verū quia oportuit illū ascēdere in cœlū, idè per seipsum aliquos

aliquos magnos cōstituit sacerdotes, quib<sup>9</sup> potestatem contulit alios episcopos & presbyteros ordinandi, & vnum præ cæteris loco sui vicarium constituit, qui haberet præminentiam longe supra alios, in quo tanquam in vno capite omnes Christiani fideliter vnirentur. Hic est Petrus apostolus, & omnes summi pontifices sui sequaces, qui gerit personam Christi, qui habet vniuersalem potestatem illimitatam & sacramentum ordinis conferendi, & omnia peccata pœnitentium Christianorum, & omnia scelera iudicandi, & absoluēdi, donandi. **D O M.** Egisti satis quæstiuncule meæ. Verùm quia paulò antè in Laicos & Clericos Christianum populum partitus es, idè cogor æstimare inter laicos etiam inueniri aliquam ordinis potestatem, per quam vnus supra alterum eleuetur, sicut nunc in Clero demonstraſti. Videmus enim supra Opifices & Mercatores eleuari ciuiliū causarum Iudices, tum Milites, tum Barones, tum Comites, deinde Duces, & Reges, donec venias ad Imperatorem, qui caput est omnium.

★

de septi-

*De septimo sacramento, quod est Matrimonium:  
per quod datur Bene esse, & gratia, & re-  
medium contra peccatum.*

CAP.

LXXII.

R A E M V N D V S.

**S**I cupis ordinē potestatis laicalis plenius  
agnoscere, lege librum meum vnde iste  
transumptus est: nos ad finem properantes  
necessarijs tantum hīc intendimus immo-  
rari. Pauca igitur nunc de sacramento Ma-  
trimonij eloquamur. Cū dominus Deus  
primū hominem conditū in paradiso po-  
suisset, continuò foeminā de sua carne for-  
matam illi in matrimoniū copulauit, vt per  
hanc coniunctionē visibilē alia copula in-  
uisibiliter, quæ est hominis cum Deo, & in  
qua salus hominis consistit, monstraretur.  
Propter duas itaque rationes Deus hoc san-  
ciuit matrimoniū: Vna, vt esset generandis,  
multiplicandisq; hominib<sup>9</sup> aptissimū instru-  
mentū. Altera, vt esset coniunctionis inter  
Deū & hominē visibile signū. Verū vt ista  
posterior copula hominis cum Deo perfe-  
ctius ab homine notaretur, idē à principio  
fecit De<sup>9</sup> mirabiles cōiunctiones: vnā, qua  
sociauit animā cum carne, & ista est natura-  
lis: & aliā, qua cōiunxit virum cū muliere,  
& ista est voluntaria & sacramentalis. Ista  
prima

prima coniunctio est signum, & idem est secunda nobilior prima. Nā sicut anima est dignior sua carne, ita vir sua muliere. Item sicut vna anima vnam tantum habet carnem, ita vnus vir vnam tantum mulierem. Item sicut anima nō potest à sua carne nisi morte interueniente separari, ita vir & mulier nisi per mortem non diuiduntur.

**N O.** Quantum ego animaduerto, sicut prima coniunctio est præcipue signum secundæ, ita ista secunda est signum tertiæ, quæ est coniunctio animæ, seu humanæ naturæ cum creatore, quæ est omnium maxima & præstantissima, sine qua incassum cæteræ æstimantur. Nam sicut caro per animam, & foemina per virum sublimantur, viuificantur, nobilitantur, ita humana natura attollitur, & vehementissimè dignificatur per copulam fœderis, qua creatori coniungitur.

**R A S M.** Sicut ergo duæ sunt coniunctiones visibiles, vna animæ cum carne, & altera viri cum muliere: ita duas nunc quasi copulas spirituales intellege, quibus humana natura potest cum Deo sociari. Vna est instar animæ cum carne, & fit per vnionem personalem, qua Deus & homo in Christo conueniunt in vnitatem personæ. Alia est instar viri cum muliere, & fit per voluntariam pronāq; dilectionem, qua etiā sponsa suo spōso saluatori strictis.



strictis amplexibus copulatur. Et sicut de complexu maris & fœminæ nascuntur filij naturales, ita ex copula Christi cum ecclesia filij generantur quotidie spirituales. Et sicut mulier est formata de viro, ita ecclesia de Christo. Et sicut vir & mulier habent in natura conformitatem, ita Christus ecclesiæ cõformatur per suam humanitatem. Et sicut inter virum & mulierem est summa dilectio, & sunt cor vnum, & anima vna, ita ecclesia Christum, & Christus amat ecclesiam, & tradidit pro ea in mortem animam suam. Præterea sicut sponsus ornat & decorat sponsam suam, ita & Christus spiritualibus monilibus intus decorat ecclesiam. Et sicut sponsus sponsam suam ne lasciuia castigat, ita & Christus ecclesiã. Et vt omnia in vnum conferã, sicut se habet bonus sponsus ad suam sponsam, ita Christus ad suam se gerit ecclesiam. DO. Pulchra vtriusq; ad inuicem matrimonij comparatio. Sed qua ratione obsecro sacramentum Matrimonij inter alia noui testamenti sacramenta numeratur, cum ipsum antiquũ sit, & non nouum? R. A. E. Sacramentum Matrimonij sicut à principio fuit institutum, ad significandam primam coniunctionem spiritualement, quæ fuit inter naturam humanam & creatorem: ita iam de nouo debuit institui, ad signi-

significandam nouam copulam, quæ est inter redemptam ecclesiam & saluatorem. Est igitur Matrimonium & antiquum & nouum, sed diuersis respectibus, & ideo merito potest cum cæteris sacramentis estimari, DOMINI. Quoniam igitur matrimonium est nouæ gratiæ sacramentum & omne sacramentum certam dat gratiam, & speciale aliquod, quo homo indiget adiutorium: rogo te, vt dicas mihi, quod nam est illud adiutoriū gratiæ, quod in hoc sacramento Christus dominus elargitur? R A M V N D V S. Sicut ipse nosti, in Matrimonio datur homini facultas ex diuina institutione, vt vtatur sua coniuge ad sobolis procreationem: & ex consequenti datur etiam illic gratia, cum qua illud conuenienter fieri possit. Qui enim recta intentione, & ad prolium generationem sacramentum recipiunt Matrimonij, huiusmodi etiam gratiam promerentur contra concupiscentiam carnalem, qua anima subleuatur à corruptione, & nimio libidinis ardore, vt fit ibi copula singularis, copula vtilis, & copula inseparabilis. Ex copula singulari nascitur fides, qua vterq; coniugū inuicem obligantur. Ex copula vtili sequitur bonum prolis, ad quod Matrimonium est institutum.

Et ex

Et ex copula inseparabili oritur bonum sacramenti, quia est sacramentum spiritualis coniunctionis supra memorata. Et sic tria bona generantur ex matrimonio, scilicet fides, proles, & sacramentum. Hæc tria bona excusant, imò honestat ipsam copulam carnalem, & ipsam copulæ concupiscentiam, ut actus ille aliàs turpissimus honestus sit, & meritorius. D O. Magna certè & admirabilis huius sacramenti gratia. R AB. Audi & aliam: Tres sunt in homine inordinationes concupiscentiæ peruersæ. Prima est, quòd homo luxuriosus sæpe multas appetit mulieres, sed per gratiam Matrimonij iste appetitus restringitur, ut sit vnica conforte sua cõtētus. Secunda inordinatio, quòd homo luxuriosus magis querit in coitu suæ satisfacere cõcupiscentiæ, quàm prolem aliquã procreare: sed in Matrimonio gratiam recipit, ut magis cognoscat vxorem gratia sobolis, quàm libidinis. Tertia, post cõpletã libidinẽ solet nasci nausea, & fastidium eius mulieris, quam cognouit, ac tum illam respuit, & querit aliam: sed in Matrimonio datur gratia, & adiutorium, ut nullã cupiat extra consortem suam, velitq; semper cum ea inseparabiliter permanere. D O. O' immensam clemētiam domini saluatoris qui tali sacramēto nostris cõcupiscentijs benignè

gnè prouidit. Sicut enim ipse nouit, carnem nos lubricam gerere & sordibus plenam: idè instituit miserans, vt illicita desideria licitis matrimonijs restringantur. Sed nunc paucis ostende, quomodò Matrimonium sit sacramentum, & quod illic est visibile, quod inuisibile. R AB. Istud sacramentum instar se habet sacramenti pœnitentiæ, in quo nõ est res aliqua corporalis. Verba itaque à viro & muliere prolata, per quæ interior amborum consensus exprimitur, sunt illud rotum quod primùm apparet in Matrimonio : & interior ipse consensus est id, quod in matrimonio significatur. Et inde causatur vinculum obligatorium inter virum & mulierem inuisibile, spirituale, quod nunquàm dissolui potest, diuina ordinatione id disponente. Sunt igitur tria istic per ordinem, scilicet verba exteriora, interior vtriusq; consensus, & ipsum insolubile vinculum, & hoc vinculum est sacramentum: quia coniunctionem inter Deum & animam, inter Christum ecclesiamq; significat. Virtute huius vinculi vir transit in potestatem mulieris, & conuersò, & tenentur sibi mutuo debitum reddere. Si voles hanc materiam perfectius nosse, oportet te quid Iurisperiti loquantur aspicere. Nos quod nostrum fuit sufficièter expressimus, simul

y & de

& de sacramentis vltra disputandis finem statuimus . Vnum superest , vt innumeras gratias Christo domino humili corde dicamus , qui hisce pretiosissimis sacramentis nos lapsos erexit, Deo sibiq; reconciliauit, de potestate tenebrarum eripuit , gratiam nobis & Bene esse contulit, & æternam gloriam repromisit , vt de Bene esse gratiæ ad Esse optimum gloriæ transeamus. D O M. Ecce hoc postremum quod de Optimo esse gloriæ tetigisti, hætenus mihi animum suspensum tenuit, cupiens vehementer agnoscere, quomodò Esse optimum Christus miserator largiturus sit. Hoc enim complet & consummat totū hominē. Tu ergo pro tua humanitate aliquid de hoc ocyus ediffere.

*De Iudicio vniuersali.*

C A P.

L X X X I I I .

R A E M V N D V S .

**F**Acerem etiam etsi minimè rogares. Non enim oportet hominem , de quo hætenus semper loquuti sumus, dimittere inconsummatum. Egimus de hominis creatione , egimus de sua reparatione , nunc agendum est de finali eius retributione. Tripliciter enim operatur Deus circa hominē, scilicet ipsum creando, reformādo, & iuxta quod operatus est æquissimè iudicando. Cū  
itaque

itaque sic homo opus Dei viuum, nobile, magnificum, & præ cæteris creaturis suo conditori simillimum: ideò non debet inconsummatus imperfectusq; manere. Verùm quia non potest vltimum consequi finem, nisi prius opera eius examinentur, & iudicentur, vt iuxta qualitatem sui operis vltimæ retributionis præmium sortiatur, siue in eternam pœnam, siue in gloriam sempiternam. Idcirco nunc necesse est de hoc vltimo, & generali iudicio pauca dicere, & an etiam futurum sit certis rationibus naturalibus demonstrare. **D O M.** Ita fac obsecro, ego aures cordis diligenter admo-  
**R A E M.** Iudicium vniuersale futurum potest ex ipsius hominis natura probari. Nam cum homo habet à Deo liberam voluntatem, & est operum suorum dominus, ideò opera eius ratione arbitrij sunt meritoria, & ideò etiam iudicabilia, vt recipiant iudicante Deo, vel pœnam, vel gloriam. Iustissimum certè est, vt qui aliquid libera operatione promeruit, id à Deo in integrum recipiat, vt detur ei post laborè sua merces. **D O.** Si homo debet mercedè sui operis à Deo recipere, ideò manifestè cõsequens est, iudiciũ vèturũ, quo examinetur: & iudicetur, qd̄ p̄meruerit. **R A E.** Idẽ pbamus rōne debiti. Bonis em̄ opibus debetur laus, fauor,

& honor: malis verò è diuerso vituperiũ,  
 ignominia, & opprobriũ. Hinc etiam oportet quòd opera bona, quæ propter Deum sunt facta, tantam recipiant à Deo laudem, & gloriam, qua non possit amplior estimari: & opera iniqua in iniuriam Dei perpetrata, tam grandem execrationem confusioneque; sortiatur, qua nequeat grandior posse donari. Vt igitur hæc in summo fiant, necesse est vniuersale iudicium proferri in conspectu omnium hominum, & Angelorum, qui norunt inter bonum malumque; discernere, quo iusta opera ab omnibus approbentur, laudentur, & publicè honorentur: quæ verò reprobata sunt, cum summa omnium execratione explodantur, exhibentur, confundantur. **DOMINI.** Ut istud fiat, quod dicis, necesse est omnium illic corda conscientiasque; palam cunctorum oculis patefcere, vt boni communem mereantur accipere laudem, & mali publicam confusionem. **RÆMUN.** Verum tu dicis, libri enim, id est, conscientie aperietur, & mortui iudicabunt ex his, quæ scripta fuerint in libris. Tertio probamus iudicium futurum ex conditione operum malorum. Nam opera iniqua supplicijs puniri debent, & ignominijs. Non enim sola pœna debetur peccatis, sed etiam aper-

ta confusio: cum plerumq; homines magis timeant cōfundi, quā torqueri. Ea nanq; est omniū scelerū & malorū operū cōditio, vt celari velint semper, & abscondi. Quia igitur nemo malignus vult secretam fraudis suæ nequitiam agnosci, idè vt peccata omnia, quæ nunc sunt occulta, extrema, & publica retributione feriātur, necesse est vniuersale apparere iudiciū, in quo omnia malorum furta, fraudes, artes, & ingenia tanta claritate cunctorum oculis patebunt, vt sole clarius videantur. **D O.** Ha quàm infani sunt, quàm verè vecordes, qui nunc sua scelera vni homini in confessione aperire refugiunt, quæ in illo tremendo iudicio tam lucida demonstratione confusibiliter expandentur. Quantò satius est nunc ea clam prodendo occulere, quàm ea postmodum cum summo rubore palam ostendere, & ostendendo perire. **R A E M V N.** Istud certè promerentur, qui hīc nolunt vllatenus de peccato confundi, propriam laudem gloriamq; quærentes, quibus æterna caligo, & confusio reseruatur. Quartò probamus iudicium futurū ex gaudij tristitiæq; natura. Necesse est enim, vt iustus de sua iustitia tā magnificè gaudeat, vt perfectius gaudere non possit: & impius de sua nequitia tam grandē habeat tristitiam, vt ea non



possit maior haberi. Vt autē isthuc sic fiat, necesse est vniuersale iudicium promulgari, in quo boni ab omnibus laudati summū gaudium, & reprobī ab omnibus vituperati æternam tristitiam mereantur. Quintò, non sunt nisi duo indicabilia, scilicet opera mala, & opera bona: & quia contraria iuxta se posita magis ipsa clarescunt, idè est futurum generale iudicium, in quo omnia opera bona comparatione malorum gloriosissimè illustrabuntur, & mala opera cōparatione bonorum extrema confusione sordidentur. **D O M.** Terribile est quod loqueris, & quod prauorum hominum possit animos permouere. Sed nunquid hæc extrema omnium operum retributio in sola hominis anima fieri debet, an etiam simul & in carne?

*Generale iudicium omnium corporum mortuorum vniuersalem præquirat resurrectionem.*

C A P. L X X X I I I I.

R A E M V N D V S.

**D**Iximus præcedenti capitulo, Quòd generale iudicium respicit humanā naturā. Ad humanam autem naturā pertinet & corpus & anima: Nam sicut est natura corporalis tantum, & natura spiritalis tantum

tantum, ita est natura corporalis, & spiritualis simul. Quia igitur hæc natura est iudicabilis, & præmiabilis, idè necesse est vt in corpore, & in anima iudicetur. Vt autem hoc fiat, oportet fieri corporum omnium resurrectionem, vt sicut anima in corpore, & cum corpore, aut peccauit, aut iuste egit: ita etiã cum corpore recipiat quod promeruit. Et quia illud extremum iudicium est finalis omnium retributio, idè fieri debet generalis omnium mortuorum resurrectio. Vna ergo inseparabili catena colligantur & vniuersale iudicium, & resuscitatio mortuorum. Præterea mortuorum resurrectio est necessaria, propter totius vniuersi complementum, quod ex tribus constituitur naturis. Quia igitur corporalis natura tantum, & spiritualis tantum permanent in æternum, idè etiam oportet vt ex ambobus condita natura suscitata in sempiternum perseueret. Idè etiam pueri, qui ex proprio nihil deliquerunt, propter complementum vniuersi necesse est quod cum alijs resurgant. Præterea, aut nemo, aut omnes certè resurgent. Si ergo aliquis iam resurrexit, argumentum est, quod resurgent & omnes. Sed Christus verus homo iam à morte surrexit, ergo omnes resurgēt: quia resurrectio debetur humane nature, nec est impossibile fieri, quod

y 4 semel

semel iam factum est. Sicut granū frumenti cadens in terra dum mortuū fuerit, & reuixerit, multiplicem fructū affert: ita Christus mortuus & suscitatus, innumerabilem corporū resurrectionē operatur. Ista autem resurrectio neque in Christo facta est virtute humana, neq; in nobis fiet, sed potestate diuina. **D O M.** Sed quali in corpore mortui resurgent? **R A E M.** Qui membra sunt Christi resurgent Christo simillimi, in corpore lucido, agili, impasibili, & immortalī. Qui autem Christi sunt aduersarij, dissimiles valde Christo resurgent, in corpore tenebroso, ponderoso, grosso, pasibili, sed immortalī, ut uiuant, & vrantur, & senriant semper. Cū enim virtus causaq; resurrectionis consistit in merito, vel demerito hominis, quod semper etiam moriente homine permanet immortale. Ne ergo cassa & inania sint humana merita, & ne vacuum appareat in vniuerso, necesse est futura vera corporū resurrectio. **D O.** Quid hīc Origenistæ dicturi sunt, qui carnis negant resurrectionem, asserentes omnem corporeā substantiam in fine mundi penitus interire, sicut in suo Periarchon Origenes exequitur? **R A E M.** Origenistæ, & horū sequaces idē decipiuntur, quia nō rectis oculis opera creatoris aspiciunt. Ideō dicūt enim resurrect

surrectionē non esse, quia putāt perfidi homines de mortuis extinctisq; pulueribus Deum viuas carnes suscitare non posse. **D O M.** Licet ego non dubitem, quin Deus id possit, tu tamen ostēde quomodo possit. **R A E M.** Si Deus potuit innumerabiles rerum species simul de terra producere, facile etiam poterit de suis pulueribus ea quæ prius fuerunt corpora suscitare. Sicut enim Dei iustitia id requirit, ita & maiestas virtutis eius id poterit. Prætereà si potuit Deus tot corpora condere, quæ pœnitus nō erāt, quare non poterit reformare quæ perierāt? Prætereà si Deus potenti manu aliqua constituit corpora incorruptibilia, vt sunt cœlestia corpora, quare non poterit reparare mortalia corpora nostra, & ea facere immortalia? **D O M.** Nihil hac verius veritate.

*Indicium generale futurum, probatur ratione honoris, potentia, & sapientia Dei.*

C A P. L X X X V.

R A E M V N D V S.

**E**GO prætereà magnopere tibi prodesse arbitror, si probem, etiam generale iudicium futurum ex parte honoris, & potentia Dei: non quo tibi fidem augeam, sed timorem. Nā ex quo Deus suo beneplacito,

y 5 nullo

nullo aut rogante, aut cogente, humanam naturam cum non esset condidit, ergo multo magis debitam faciet meritorum omnium retributionem. Quia non esset æquum, hominem liberè operantem creare, & operis mercedem nolle reddere. Secundo, cum finalis retributio sit opus honoris solius Dei extra se, quicquid enim Deus operatur extra se, ad suum id operatur honorè. Et quia iudicium finalis retributionis est vltimum & cõpletum opus Dei circa humanam creaturam, idè oportet vt in hoc vltimo opere Deus agat, palam manifestando summum honorem suæ potentia, suæ sapientia, suæ iustitia. Potentia apparebit in tot corporum suscitatione, sapientia in conscientiarum discussione, iustitia in meritorum æquissima distributione. D O M. Hunc summum honorem Deus non acquireret exterius, nisi humanam angelicamq; naturam ad examen generale deduceret, in quo possent suæ potentia, sapientia, & iustitia opera ab omnibus videri, & cõmendari. R A F M. Præterea istud iudicium vniuersale cum debeat esse summè honorificum, laudabile, gloriosum: oportet igitur vt illic fiant apertissima omnium meritorum declarationes, oportet quoque vt ferantur sententia irreuocabiles, & finaliter dentur meritorum omnium iustis

iustissimæ retributiones. Requirit enim hoc iudiciũ , vt in meritorũ declarationibus ostēdatur in iudice reſtitudo veritatis, in ſententijs irreuocabilibus authoritas & potestas summæ maiestatis, & in retributione præmiorũ siue pœnarũ plenitudo iustitiæ, & bonitatis. Præterea cum istud iudicium sit summi honoris & maiestatis, ideo necesse est quod fiat tanta solēnitate, pompa, & magnificētia, thronis, & potestatibus obsequentibus, vti talem infinitæ maiestatis iudicē decet. Oportet igitur, vt propter iudiciariã potestatem (quæ terrorē ingerit, & formidinē) omnibus appareat Deus iudex formidatus, minax, terribilis, metuendus, & vt hunc terrorem exerceat iuxta suam reuerendissimam maiestatem. **D O.** Istud verè requirit contemptus hominũ iniquorũ, qui Deum iudicem & sua mandata spernentes, mille illum vicibus offenderunt. Erit igitur omnibus reprobis incōparabilis timor, & tam immensus, vt non possit augeri amplius. Puto tamen iustos cū securã habeant conscientia, nihil hunc iudicē formidatos. **R A B.** Iustis illic tuta erunt omnia. Excipient tamen eum cum summa veneratione, ac reuerētia, vidētes altissimã eius excellentiã, maiestatem, sapientiã, virtutē, dignitatē. Ex quo enim istud opus iudicij est  
 vlti

ultimum operum suorum, idè erit purissimum, excellentissimum, sollemnissimum, summè honorificū super anima opera manuum suarum. D O M. Ex his apertè colligimus, cū opus iudicij sit opus summi honoris, iustitiæ, virtutis, & bonitatis, quòd ad Deum maximè pertineat facere iudicium, & dare vnicuique secundum opera sua. Sed quis erit iste omniū iudex? Scio quia Deus: sed nunquid non Homo deus, vt ipse sit & iudex, & retributor, qui prius fuit omnium reparator? R A E M. Ille ipse Christus I E S V S vnigenitus Dei, cui pater dedit omne iudicium, quia filius hominis est, idè meritò debet homines iudicare, cū & ipse homo sit, hominum redemptor, & reparator. D O M. Nihil verius, vltra progredere.

*De excellentia huius diei præ cæteris diebus:  
& de finali retributione.*

C A P. L X X X V I.

R A E M V N D V S.

**A**Ntequàm loquamur de finali omniū operum retributione, dicam pauca de nouissimæ diei magnificentia. In hoc die omnium præcedentium dierum opera congregabuntur, & suam mercedem recipient. In hoc die magnificētius operabitur Deus, quàm

quàm in cæteris sit operatus diebus, homines suscitando, ac immortales faciendo, & vnumquemque iuxta quod meruit æterna retributione donando. In hoc die solus operabitur homo Deus, in cæteris sua homines opera perpetrarunt. In hoc die Deus ostendet opera suæ potestatis, sapientiæ, iustitiæ, veritatis, & bonitatis, cõplens omnia opera sua in summa laude, gloria, & honore. Hic dies erit dies timoris, angustiarum, & formidinis omnibus iniquis: & dies gaudij, exultationis, & gloriæ omnibus iustis, & bonis. D O M. Meritò igitur hæc dies nobis in continua debet esse memoria, & ad hunc tanquàm ad suum centrum omnium dierum nostrorum opera dirigere, & quantum possumus iustitiæ, & virtutibus operam dare, ne in illo die coram tãto iudice, & omnium hominum atq; Angelorum frequentia confundamur. Vbi autem huius memoria diei non habetur, illic inconstantia regnat, & malitia, & omne opus prauũ, atque peruersum. Et quia iudex ille magnificus, nec errare poterit, nec corrumpi, nec decipi, qui omnium scrutatur renes, & corda, qui omnia videt, & nihil negligit, idèd hæc assiduè cogitantes, & hunc diem præ oculis habentes, debemus operari quod bonum est. Bonorum enim laborum gloriosus



sus est fructus, & regnū permanens sempiternum. Nationes autem iniquę dirę erunt consummationis. R A E M V N. Ex hoc ipso  
 De finali retribu- quod nūc dixisti finalē elicimus iudicij con-  
 tione. summationē, quę fiet in bonorū malorūq;  
 abinuicē perpetua separatione. Duę enim  
 hę gentes, vna Iustorum, altera impiorum,  
 cū sint inter se contrarię, contrarias sen-  
 tentias recipient, contrarias sedes, merce-  
 des, retributiones. Qui enim Lucifero vo-  
 luntate pessima adhęserunt, sua membra  
 effecti, cum ipso in sempiternis ignibus  
 damnabuntur: qui verò Christū dominum  
 secuti sunt, cum ipso in æternā gloriam su-  
 stollentur. Illi mergentur in profundissima  
 abyssō, isti leuabuntur in empyreo cœlo.  
 Illi ignibus, isti delitijs donabuntur. Illi ha-  
 bebunt socios dæmones, isti angelos socios  
 fortiētur. Illi præ immensis angustijs vltra  
 bunt, isti præ voluptatū magnitudine gratu-  
 labūtur. Illis superincūbet obscurissima &  
 sempiterna caligo tenebrarum, istis autem  
 Deus erit in lucem sempiternam, & lucer-  
 na eorū erit agnus. Certē nunc habes quod  
 petisti, collige ex his vltimū hominis com-  
 plemētum. Nam si bonus iudicatus fuerit,  
 fortietur Esse optimum cum angelis in re-  
 gno: si verò malus, Esse pessimum perpe-  
 tuō possidebit cum dæmonibus in inferno.

D O M.

D O M. Hoc extremo tuo sermone eliditur  
 pestifera Origenis in suo Peri archon opi-  
 nio: vbi asserit, malos gehennæ supplicijs  
 eruditos, virtutes velle capessere, & his ex-  
 ercitos regnum promereri supernū. Tu ve-  
 rō qui vtriq; populo statuisti limites sempi-  
 ternos, huius viri somnia penitus vacuasti.  
 At quoniam nunc finem me video attingisse  
 omnium quæ volebā, & ad vltimam retri-  
 butionem peruenisse, ago immortales gra-  
 tias dignationi atq; industriæ tuæ. Digna-  
 tionī quidem, quōd volueris: industriæ ve-  
 rō qua me efficacissimè instruere potuisti.  
 Dum viuo, & spiritus hos regit artus, me-  
 mor ero huius optimæ institutionis tuæ: vt  
 semper meminerim, me à summo creatore  
 compositum, cæteris creaturis longissimè  
 prælatum, me in ea inobedienciæ superbia  
 collapsum mille cum calamitatibus inter-  
 ceptum, Christi me miseratione redemptū,  
 suo me examini reseruatū, & pro meritis  
 bonorū operū æterna præmia recepturum.  
 Verū quia in longā noctē hanc vltimam  
 disputationis nostræ partem protraximus,  
 vnū abs te mi Ræmūde efflagito, vt ea quæ  
 inter nos nunc agitata sunt (est enim mihi  
 fragilis memoria) libris mandes, quo & ego  
 reminisci, & posterī hac vtilissima eruditio-  
 ne possint effici meliores. R. A. E. **Quinquā**  
primus

primus liber olim à me scriptus, appime  
 sufficiat, faciam tamen quod efflagitas.  
 Nam ex quo hæc nostra disputatio succin-  
 cta fuerit, plana, facilis, acuta, & lepore sa-  
 libusq; resperfa, ideò ante primam editio-  
 nem multò libentius à plerisque legetur,  
 præsertim cùm illa prolixitate sui fastidiũ  
 legentibus generet, ista recreet fastiditos.  
 Verùm quia obscura iam nox ad somnum  
 nos euocat, cibo potuq; ante corpora fouea-  
 mus, ac tum postea dulci liceat indulgere  
 sopori. D O M. Quinquàm tua adhortatio-  
 ne ita roboratus sum, atq; confortatus,  
 vt carnis delicias non requiram, pa-  
 reo tamen voluntati tuæ vt me  
 ad tua iussa pronum inue-  
 nias, quem tam bene-  
 uolum in meis pre-  
 cibus sum ex-  
 pertus.

## DIALOGVS

SEPTIMVS, INTER

MARIAM, ET

DOMINI-

CVM.

*De mysterijs sacræ Passionis do-  
mini nostri Iesu Christi sem-  
per benedicti.*

DOMINICVS.



V D I V S T E R T I V S. I p-  
so videlicet sancto paralbe-  
ne die, cum interesset pas-  
sioni vnigeniti tui, o Maria  
sequere enim timidus cum

Petro à longe, vidi eum plurima perferre, &  
multa in illum fieri, quæ me vehementer  
permoerunt. Neque enim sine mira ratione  
est, quod omnipotens Deus (quem tuum filium  
esse profiteor) tam acerba tormenta, tamque  
indigna ludibria & probra sustinere volue-  
rit. Optabam anxius & moestus horum nobis  
semysteria, sed te cum viderem, immensis  
circumseptam angustijs, & mæroribus innu-  
meris absorptam, non te interrogare præsum-  
psi, sciens quia mihi respondere non posses,  
z quæ

quæ penè mortua videbaris. At nunc cum iam filius tuus resurrexit, & inæstitudinem omnem tuam longè propulerit, oro te mitissima parens, ne fatigeris mihi seruulo tuo passionis vnigeniti tui mysteria propalare.

M A R I A. Eia mi fili Dòminice infandū, mihi crede, iubes renouare dolorem. Neq; enim passionem filij sine compassione, nec lachrymosam sine lachrymis materiam poterò memorari. Verum quia semper cū ingēti fructu Christi passio recensetur, vt tibi mihiq; fructificem, morem geram rogatus tuis. D O M. Ago immortales gratias humanitati tuæ, qui vt cæteris seles, ita & mihi quoque immerito te beniuolam præbes. Dic igitur mihi, q̄ sapientissima virgo, quid causæ est obsecro, quòd dominus maiestatis filius tuus, cuius sapientiæ nō est numerus, tam ignominiosam subire voluerit passionē? M A R. Dicam paucis, tu tamen diligenter aduerte. Post illā humanæ præuaricationis, diabolo decipiente, ruinā vniuersalē, ex qua per vnū hominem peccatū introiuit in hūc mūdū, & per peccatū mors, & ita in omnes homines pertrāsijt; in quo omnes peccauerūt, post illam itaq; ruina nemo diaboli dominationem, nemo vincula dirę captiuitatis euaderet, nec cuiquā aut recōciliatio ad veniā aut reditus pate-

ret

Fet ad vitā, nisi cœternus & cœqualis Deo  
 patri, filius Dei etiā hominis esse filius di-  
 gnaretur, veniens querere & saluum facere  
 quod perierat. Ut sicut per Adam mors, ita  
 per mortem Christi esset resurrectio mor-  
 tuorum. Adā se & suam sobolem superbiē-  
 do deiecit, Christus vsq; ad crucis necem se  
 humiliando in se credētes erexit. Adā diui-  
 nitatis gloriā concupiscens, comparatus est  
 immetis insipiētibus, Christus factus nouis-  
 simus virorū cūm Deus esset, angelicis ho-  
 minem adæquauit virtutibus. Adam suasa  
 serpētis inobediēs in ligno peccauit. Chri-  
 stus factus obediens vsq; ad mortē per li-  
 gnū cuncta restituit. Habes ecce breuiter  
 quod petisti. D O. O' inscrutabilē diuinę bo-  
 nitatis abyssū, q̄ tali miseratione statuit de-  
 iecta erigere, & cōfracta in integrū solida-  
 re. Sed quęso te, dulcis mater, ne me estimes  
 importunū si passionis causas particularius  
 indagauero, M. A. Facito vt voles, ego votis  
 tuis libens occurrā D O. Cūm ingredere-  
 tur vnigenitus tuus, aterq; passionis conflictū,  
 vidi illum pallefcere, tremere, & trepidare, &  
 immensis vallatum angustijs in faciem suā  
 per terram procidere, & patrem vt à se mor-  
 tis calicem auferret deprecari; Harū angus-  
 tiarum nosse cupio rationē, M. A. Hei mi  
 fili Dominice, quā ingeniti, matre mea

nunc viscera permouisti, non possum æquo animo harum calamitatum, quas filius pertulit, reminisci. Agnosce tamen in his angustijs conditoris tui dulcem clementiam. Pauores enim hos & tristitias assumpsit, vt nostras in se tristitias vinceret, & æternas quas homo meruerat angustias suis angustijs benignus excluderet. Sicuti enim, vt supra retuli, tuã mortẽ sua morte destruxit, sic tuã mœlitudinem suis mœroribus eliminauit, vt faciem tuã exhilararet in oleo, & in mentis alacritate domino famulareris. **D O M.** Gratias ago benignissimo saluatori, qui suo pauore metum mihi diræ mortis ademit, & in spem vitæ æternæ fidenter animauit. Sed puto te nõ latere mitissima, quòd Christus dominus in agonia constitutus sanguinem & aquam abunde sudauerit. **M A R.** Cùm id, ò fili, spiritu reuelante vidissem, nimio dolore commota vehementer intremui: & sicut ille totam suam carnẽ in sudorem, ita ego omne cerebrũ meũ in lachrymas reliquaui. Cõsiderans enim dominus **I E S V S** imminens & amarũ mortis discrimen, ad eò vehementi anxietate permotus inflãmabatur corpus & cor eius, vt apertis membrorũ poris sudor sanguineus profũliret. Et hæc quidẽ benignissimus miserator in figura morientis hominis vltro peregir,

peregit, qui humanæ mentis in se certamē  
 expressit. Homine quippe ad mortem pro-  
 pinquante, vim quandam terroris ac formi-  
 dinis patitur, cum per solutionem carnis ad  
 æterna & districta tribunalia perurgetur.  
 Ne ergo fidelis Christianus horam mortis  
 anxius sudansq; pertimesceret, vnigeni-  
 tus meus & sudare voluit, & vehementer  
 metuere, vt illi homo gratias haberet, &  
 corde diligeret. D O. Et meritò id quidem.  
 Nā ego quoque hæc abs te audiens in eius  
 amorē incandescere incipio. M A R. Agno-  
 sce etiā hunc, qui de toto corpore eius pro-  
 fluit, sudorē id portendere, quòd à mystico  
 eius corpore, quod est ecclesia, sanguis fun-  
 dēdus sit, & sanctorū martyria emanatura.  
 Omnis enim qui membrum fuerit Christi,  
 persecutionem patiatur necesse est. In hoc  
 prætereà sudore nō oculis solūm, sed & mē-  
 bris ab omnibus fleuisse videtur, vt mysti-  
 cum corpus eius totius sui corporis lachry-  
 mis purgaretur. Hunc autē sanguineū sudo-  
 rem adeò copiosum fuisse cognouimus, vt  
 magno profluuio laberetur in terrā, vt ter-  
 renū hominē calido sanguine cōfoueret, &  
 ad fructū vitæ mortuum animaret. D O M.  
 Multū libenter quæ dicis excipio, nam  
 amorem redolent, & pietatem. Vnū reminis-  
 cor, quod mihi bilem mouet, & stomachū



vehementer. Cùm iisset Christus dominus obuiâ hostibus suis, accessit ad eum nescio quis perfidus, & sub specie pietatis lupo agno mitissimo osculû dedit, atq; hoc pacto prodidit inimicis. **M A.** Hoc est osculû Iudæ nequissimi proditoris, qui amoris pignore vulnus infixit, & charitatis officio sanguinè fudit, & pacis instrumento mortem irrogauit, qui tandè ab alto stipite laqueo se suspendit. Aduerte tamè huius osculi virtutè, non malitia illud imprimètis, sed patientiâ recipiētis. Hoc enim osculû Deum tibi iratû reconciliauit, cœlum resoluit. Angelos pacificauit. Hoc osculû mûdi blâditias in absynthiû vertit, mûdi odia dulcescere facit, & fraudulenta proditorû oscula cauere te instruxit, & odisse. **D O.** Non arbitrabar has tali osculo inesse virtutes. Hoc itaque osculo Christus furenti populo denotatus, cōfestim inuaditur, & multis verberibus agitatus diris vinculis colligatur. **M A R.** Mœrore en altero mihi animû acriter permouisti. Nō vacat tamen mysterio, cur dominus maiestatis tanquâ latro ligari voluerit, & cōprehēdi. Adâ in paradyso furtû latrociniumq; cōmisit, dum fructû vetitû rapuit & momordit. Est enim furtû rei alienę inuito possessore attrectatio. Huius furti gratia omne hominû genus à diabolo cōprehensum,

prehensum, & peccatis implicitū tenebatur. Hunc furem Deus unigenitus meus vt solueret, voluit incōprehensibilis cōprehendi, & summa libertas vinculis colligari. Hinc tātus hęc vincula sequitur fructus, vt colligationes impietatis dissoluantur, nodi infirmitatum corripiantur, vincula mortis & inferni proijciantur, & qui in tartaro conclusi erāt, solutis doloribus liberētur. D O. O' sancta vincula, Christo quidem amara, sed nobis verè dulcissima. Vos quęso funibus me charitatis astringite, & sensus meos omnes & intellectū in obsequiū Christi captivate, neq; à fraterna dilectione me unquā separari permittite. His igitur vinculis cōstrictus corā Anna pontifice Christus statuitur, & ferrata manu à seruo nequissimo duriter verberatur. Dum hęc cernerem, nō potui, fateor, lachrymas cōtinere, & in æternum animi occultare dolorem. M A R. Non ne tunc optabas eum qui percussit aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut corréptum à dæmonio volutari? D O M. Optabam certè, & mille in illum fulmina imprecabar. M A R. Vide nunc, mi Domitice, quā longē sis à patientia redemptoris tui. Quam rogo vindictam, quę fulmina, quę supplicia in percussorē retorquere nō poterat, cui creatura omnis seruebat?

bat? Sed patientiam docens, te instruxit, inimicos non animaduersione sternendos, sed patientia superandos. **D O M.** Optimū documentū, & in tanto principe mirabile humilitatis exēplum. Ab Anna cū esset dominus **I E S V S** ductus ante conspectū Cayphæ præfulis, statim illic falsis testibus imperitur, & in multis nequiter accusatur. **M A R.** Vide hīc, Dominice, saluatoris tui dulcissimā pietatē: Falsos testes innocēs admittit, ut veros testes ab electis abigeret. Qui etſi electi sunt, in multis tamen nocentes sunt. Quis enim gloriabitur, castū se habere cor, & mundū esse à peccato. Accusator itaque fratrum diabolus, etſi ipse in se nequā & mēdax sit, habet tamen vnde electos coram summo iudice Deo in multis accusare veraciter possit. Falsos ergo testes in se summa bonitas admittens, hoc suis fidelibus promeruit, ut in suo iudicio à veris accusacionibus hostium præmunici, aut erui possint. Sapit ne tibi quod dico? **D O.** Imò, domina mea, optimè mihi sapit, & cordis palato tuorum penetrant mellaverborū. Sed quid rationis est, rogo, quòd ad falsa testimonia nihil penitus respondit? **M A.** Ea est natura falsi, ut silentiū agēte veritate, se sibi citius mētiatur. Nunquā melius falsum quā suo cōmento destruitur. Præterea *Christus exhibens*

exhibens iustitiam siluit indignis, exercens  
 misericordiam, ne amplius peccarēt: tacuit  
 malignis, docens patientiam: cessit calum-  
 nijs. Sed vidisti ne, mi Dominice, quomodo  
 dicente domino, A modo videbitis filiū ho-  
 minis sedētem à dextris virtutis Dei, Cay-  
 phas præsul intumuerit, blasphemū procla-  
 mauerit, & pontificale sibi abruperit vesti-  
 mentū? **D O M.** Vidi, fateor, & malitiam fu-  
 nestissimi hominis vehementer obstupui.  
 Miror tamē quid illa sacræ vestis discissio  
 in figura significet. **M A.** Non vides, quia  
 dū sibi Cayphas vestimenta discidit, ipsum  
 quo tegebatur velamentū legis abiecit? In-  
 tellige ergo Iudæorum sacerdotiū pontifi-  
 cum sceleribus citò esse scindendum, & ab  
 statu suæ integritati defatiscendū. **D O M.**  
 Nunc complebitur (nisi fallor) vaticinium  
 Ozeæ Prophetæ, Sedebit, inquit, populus  
 meus diebus innumeris sine rege, sine sacer-  
 dote, sine sacrificio, sine ephot, & sine thera-  
 phin. Hoc est Ephot, quod Cayphas scidit,  
 quod refarciri non poterit in æternum. Sed  
 cur Christus, laus, & gloria æterni patris,  
 blasphemus voluerit proclamari, abs te pia  
 mater audire desidero. **M A R.** Ut te purū à  
 blasphemia custodiret. Homo enim pecca-  
 tor volūtare, ore, atq; opere Deū & blasphe-  
 mat, & inhonorat, imitatus Adam paren-

tem suum, qui huius sceleris primus re-  
 peritor emicuit. Adam primus diuini nominis  
 blasphemator, Christus verò primus summi  
 patris laudator. Ille corda filiorum maledi-  
 ctis oppleuit, Christus corda ac ora fidelium  
 laudibus infrænauit. Hinc ergo ille mitis-  
 simus, blasphemus dici dignatus est, vt bla-  
 sphemiã trifariam ab electis excluderet, &  
 æterna benedictione fulciret. D O. Puto ob  
 id etiam, ne in eam societate numeremur,  
 vbi in inferno impij linguas suas comman-  
 ducant, Deum optimũ sine intermissione bla-  
 sphemant. M A. Recte tu quidẽ. Quod ve-  
 rò vidisti filium meum turpibus sputis in-  
 quinari, hæc idcirco iniuriã pertulit, vt spu-  
 taminibus in suã faciẽ susceptis animarum  
 nostrarũ facies lauaret, & extingeret. Adã  
 cum præcepta contemnens vetitũ sumpsit  
 cibũ; quasi in Dei faciem nequiter cõspu-  
 tit. Hinc ille à diabolo vitiorum inquina-  
 mentis cum sua sobole cõspui meruit. Sed  
 hæc sputa quæ pertulit, Christus miserator  
 extersit. Hinc cauendum est Christiano, ne  
 more Iudeorũ Christi faciem conspuet, dũ  
 animã suã vitijis polluit, dũ Dei in se imagi-  
 nẽ inficit, dũ execrandis dogmatibus veri-  
 tatẽ extinguit, dũ de perceptis Dei muneribus  
 gratias ingratus non agit. D O. Optima  
 informatio tua, & alta mente collocanda.

Sed

Sed vidi, quod sine lachrymis referre non possum, post sputa atq; alas Deū & domi-  
nū Angelorū sordido peplo oculis velari,  
& multis ludibrijs & verberibus acriter fa-  
tigari. M. A. Heus singultus me nūc impe-  
diūt, vt vix quæ hīc sentio valeā enarrare.  
At nunc huius velationis accipe rationem.  
Primus parēs cū diuinitatis scientiā appe-  
tijt, lumē cordis amisit, & à regione lucis  
expulsus in hanc tenebrosam miseræ val-  
lem cum sua prole descēdit. In tantā deniq;  
mentis caliginem miserandū genus homi-  
nū sponte proiecit, vt abiecto creatore crea-  
turam coleret, & omnigenum Deum mon-  
stra nequiter adoraret. Totus penē mundus  
vna hac erat tenebrarum catena compedi-  
tus, nec siderum lymphidæ flammæ illumi-  
nare hanc poterant noctē tenebrosam. Vt  
igitur hanc caliginem Deus miserator ab-  
stergeret, & cæcis mentibus lumen verita-  
tis infunderet, oculos suos super solem cla-  
riores velo obscurari permisit, quos post-  
modū etiā in morte extinguī sustinuit. Hinc  
iam, fili Dominice, reuelata facie gloriam  
Domini speculamur, in eandē gloriā in lu-  
men à lumine transformati tanquā à Do-  
mini spiritu. D. O. M. Verē fauus distillans  
labia tua, & eloquiū tuum dulce. Non im-  
meritò, vt cernō, velamen super corda Iu-  
dæorum

dorum positum est, quod nunquam eis auferri poterit, donec fide instituti transferint ad Christum. Cum hæc & multa alia probra circa filium tuum, ô dulcissima, agerentur: Petrus, quem comitem mihi adhibueram, ab ancilla interrogatus, repente, heu dolor, ter dominum denegauit. Inde ego confusus, & meæ imbecilitatis conscius, ne in similem errorem inciderem, citius impia prætoria fugiens dereliqui. Petrus verò intimo mœrore cõpunctus egressus foras fleuit amarè. **M A R.** Ego Petro collapsa pia mente compatior. Sed hæc negatio miserate saluatore tantum valebit, vt post Petrum nemo vnquam fidelium Christum in fine negaturus sit. Sed attende, quæso, vbi Christum Petrus negauit? Illic certè vbi veritas expeditur, impetitur, exacerbatur. Nõ audisti Petrum negantem in monte, non in domo, non in tẽplo, sed in insano prætorio, vbi Dei iustitia aut venditur, aut prophanatur. Neq; in atrio Petrus, sed egressus foras amarè fleuit: vt intelligas, eum qui in circuitu est seculari, & qui cum improbis carnalium cupiditatum ignibus se inflammavit, cadere quidem vltius posse, flere autem nullatenus posse. **D O M.** Optimè nos instituis doctissima mater. Sed quis ille est obsecro infelicissimus, què à longe intueor ab arbore laqueo

laqueo strangulatū? **M A R.** Ipse est Iudas proditor, cui nihil sua cupiditas valuit. Maluit enim se, quàm denarios perdere: quia denarios templo, animā diabolo, & corpus laqueo tradidit. Iudas itaq; cœlo terreq; perosus, dum proditionis culpā emēdare non potuit, homicidij propriij facinus adiecit. Imitantur autē illum qui sunt ex parte illius. Quicumq; enim Dei gratiā, aut susceptam fidē, voluptatibus, aut diuitijs prodit, infernali laqueo se suspendit. **D O.** Intueor hīc execrabilem duritiā Iudæorum, quam nec confessio peccati, nec restitutio pretij, nec nephas suspendij potuit emollire. Non puto domina magno vacare mysterio, q̄ pretio sanguinis Christi, his scilicet triginta argenteis, ager coēmitur in sepulturā peregrinorum. **M A R.** Bene putasti. Ager pecunia coemptus, mundus iste est Christi pretioso cruore redemptus. In hoc agro verē fideles tanquā aduenē, & peregrini super terram Christo cōmortui sepeliuntur, & in pretio sanguinis eius tumulati æternā requiē sortientur. Gentiles enim, à lege & prophetis hætenus peregrini prava Iudæorum studia in salutem suscipient, & in pretio sanguinis Christi dulciter requiescent. **D O M.** Donet mihi Dominus tuo merito, dulcissima mater, ut in hoc agro tanquā advena consopultus



pultus in Christi sanguine obdormiscam.  
 Hinc iã à Cayphæ domo ad Pilati prætorium Christū dominum sum sequutus. Quē cum vidissem placido vultu, submisso capite, & depressis oculis corā iudice astare, lachrymas retinere nō potui. **M A R.** Ego quoq; dū hæc cogito, me à fletibus temperare nō possum, præsertim dum mente cōcipio, tot falsas calūnias, tot cōficta mēdacia, tot indignissima probra. Est tamē vnde nō mediocriter gloriemur, si aduertimus, Deū ac dominum maiestatis idcirco falsas calūnias pertulisse, vt nos in veritate fundaret, & à dæmonum improperijs, & criminationibus benignus miserator erueret. **D O.** Magna dignatio, & eò dulcissima quòd gratuita. At nō minoris est indulgentiæ, quòd etiã Herodi regulo omnipotens rex regum voluerit præsentari. **M A.** Non vtiq; minoris: idcirco enim nunc Annæ, nunc Cayphæ, nunc Regi, nunc Præsidi iudex omnium dominus contemptus offertur, vt tu posses eius tribunalibus fiducijs plenus assistere, & faciē sedentis super thronum, quam reprobi omnes horrescent, tranquilla mente contueri. **D O M.** Donet mihi, quod dicis pia virgo, vnigenitus tuus; vt manum suam longè faciat à me, & formido eius in illo iudicio nō me perterreat. Sed multum  
 me mo-

me mouit, quod cum Herodes multis domi-  
 num sermonibus discuteret, non illi verbum  
 ipse responderit: nostri credo misertus no-  
 luit leuissimo regi conferre respōsum, ne  
 hoc pacto eriperetur à morte. M A. Et hæc  
 quidē sui silentij vna causarum est. Verū  
 magis & hīc, & ad alia plurima interrogata  
 silentiū agit, vt improba primę matris cum  
 serpente colloquia expiaret, & sua docta ta-  
 citurnitate impios sermones excluderet. Si  
 enim Eva colubri vetuisset effatus, nunquā  
 à perfido hoste deciperetur, nunquā à  
 paradyū sedibus pelleretur. D O. Huius re  
 docta periculo, sancta domina, cum te Ga-  
 briel salutaret archangelus, non antè illi re-  
 spōsa dedisti, quā illū verissimè nosse ab  
 altissimo destinatū. M A. Ita instruimur à  
 domino, vt cognoscamus spiritus si ex Deo  
 sint: cū nonnunquā Angelus Sathan in An-  
 gelū lucis se trāsformet. Verū tu quod cœ-  
 pisti prosequere. D O. Cū præstolaret ad val-  
 las palatij reditū saluatoris, ecce subito se-  
 ras à ministris educitur, vinculis cōstrictus,  
 & alba veste delusus: quem tanquā amem  
 tem & fatuum omnes, heu dolor, cœpe-  
 runt explodere, illudere, subsannare. Vidi  
 te quoque in itinere, dum eius reditum an-  
 xia expectares, deiectam, miserabilem, &  
 compatiēbatur tibi anima mea. M A R.

Eram

Erã reuera tũ vltra quàm credi potest mœ-  
 stissima: sed ne nunc quidẽ sine lachrymis  
 huius memoriã habeo. Fuit tamen hoc spe-  
 ctaculũ non mediocriter fructuosum. D O.  
 Ita quẽso hunc mihi fructũ dignanter assi-  
 gna. M A R. Memoraris ne, Dominice, quo  
 modò primus parẽs Dei sapientiã ambiens  
 appetiuerit? D O. Memoror, domina mater.  
 Sed & nos quoq; filij Adam nescio quo pa-  
 eto ad scientiæ arborẽ tam libenter accur-  
 rimus, paratiores semper curiosũ aliquid  
 nosse, quàm religiosũ aliquid operari.  
 M A R. Quare igitur vos scientiarũ appeti-  
 tores nõ aduertitis, qualiter Dei sapientia  
 Christus vestris obtutibus presentatur?  
 Quid tã opere sapientiam vestrã, (quẽ aut  
 stultitia est, aut certè animalis, terrena, &  
 diabolica) ostẽtare gestimini: cum is, cuius  
 sapiẽtiæ nõ est numerus, quiq; angelos im-  
 buit disciplina, stult⁹ videri voluerit, & igna-  
 tus? D O. Væ nobis, qui semper grandes stu-  
 mus in oculis nostris, & iuxta Esaiã coram  
 nobismetipsis sapientes. Habemus tamen  
 gratias optimo redemptori, qui idcirco tan-  
 quàm amens atq; ignauus cõronã voluit,  
 & haberi ludibriũ, vt filiorum Adæ super-  
 biã inclinaret, & humilitatis exẽpla nobis  
 tribueret. Verũm cum ad Pilatum dominus  
 R E S V S reductus esset, vxor Pilati, nescio  
 quo

quo mota spiritu, rogat maritū, ne iuxta ludæorum vota Christū occidat, asserens se propter illū in visu multa fuisse perpessam.

MAR. En Eua secūda nouo homini Christo præparata. Illa genus humanū in mortē deiecit, ista simili acta spiritu ne redimatur homo impedire curauit. Illa nouit percutere, ista medicū studuit amouere. DO. Putaueram hęc fœminā motā pietate fuisse.

MA. Imò verò pessimo dēmonio agitatā.

Hostis em̄ antiquus animaduertēs animas captiuas citius liberandas, necē quam paulò ante Christo parauerat, per hanc fœminam auertere nūc satagebat. Verū Pilatus (Deo aliquid pro nobis melius prouidēte)

vxoris precamina audire cōtempserit. DOM.

Donēt mihi merita tua sanctissima mater, ne sensualitas vxor mea, ne impediatur carnē meā cum vitijs & concupiscentijs crucifigere, & proximorū necessitatibus cōdolere. At nunc plenū est lachrymis quod subijcio.

MAR. Quod'nam illud? DO. Pilatus

cupiens dimittere Christū, seditiosum, & homicidam Barrabā eis obiecit, vt huius odio (cūm latro esset) innocētē dominum liberum relaxarent. Verū illi impudentissimi, canes contempto principe Angelorū,

latronem pessimum elegerunt. MAR. Flen-

da nimis freneticorum insania. Latet tamē

A in hoc

in hoc opere dulce satis & suaue mysteriū. Protoplastus noster (cuius sæpe iam memini) vetita gustando Deum nequiter reiecit, & pessimo credidit deceptorī, cui adhæsit, cui quoq; famulatus est. Hinc iā omnis eius posteritas hoc habet vitij, vt contēpto summo bono, caducis rebus, atq; inanibus delectetur. Nemo est, qui pretiosum separaret à vili, qui lumen à tenebris, qui virtutem à vitijis. Omnes itaq; circa electionē plerūq; fallūtur, cum mors & vita in electione consistant. Si bene elegeris, vita viues: si malè, pœnas dabis inexpiabiles. Ne ergo in electione Christianus se falleret, Christus latronē eligi, & se contemni permisit, vt huius merito nobis ea gratia conferretur, qua possemus quæ ipse diligit libenter eligere, & quæ prohibet aspernari. D O. Magna optimi Dei nostri clementia. Sed vç perfidis Iudæis, qui nunc pro Messia latronem, & pro Christo antichristum recipiūt. M A. Tu quoque fili Dominice, caue ne Iudæos quos arguis imiteris. D O M. Quo pacto domina? M A. Quæcunq; enim anima sceleribus assentit, Christum sibi vincit, & Barabam soluit: quæ verò sectatur iustitiam, Christum solum habet, Barabam compeditum. Et quemadmodū Iudæi post electum homicidā larrocinijs & seditionibus sunt

sunt

Tunt subuersi, sic ea cōtemptibilis anima,  
 quæ in se Barrabā soluit diabolicis latroci-  
 nijs exterminatur. Verū tu quid deinceps de  
 Christo vidisti, ediffere. D O. Cū Pilatus  
 cerneret latronē Christo præferri, iussit eū  
 à militibus in atriū prætorij introduci. Ego  
 paulò post immixtus turbis atrium ingres-  
 sus, vidi (heu dolor) regē gloriæ vnigeni-  
 tum tuū vestibus spoliari, vinculis ad stipi-  
 tem cōstringi, & toto corpore acriter flagel-  
 lari, aded vt instar gurgitū sacer eius cruor  
 efflueret super terrā. Sed tu, quæ so dulcissi-  
 ma parens, repressis parumper singultibus,  
 cur hanc grauē in se animaduersionē Deus  
 pertulerit, effare. M A R. Memorare fili il-  
 lius miseri, qui ab Hierusalē descendens in  
 Hiericho, incidit in latrones qui ab eis di-  
 spoliatus, vulneribus confossus, & semiui-  
 uus derelictus est. Ipse est Adā cum sobole  
 sua. Porrò filius Dei Christus dominus ca-  
 lamitati eius cōpatiens, suis vestibus spo-  
 liari voluit, vt hunc nudum innocentie in-  
 dumento vestiret: vinculis constringi, vt  
 cōpeditum absolueret: plagis vulnerari, vt  
 hunc faucium reformaret: & sanguinē fun-  
 deret, vt semianimem ad vitam gratiæ ani-  
 maret. Sicuti enim vita omnis animantis in  
 sanguine est, ita & vita iusti in sāguine Chri-  
 sti est. Quem idcirco munificus miserator

A 2 fundit

fundit à corpore, vt tu illum ore biberes, & corde deuotè haurires. DO. Magnā charitatis flammā verba euaporant quæ tu loqueris, & in amorem me optimi redēptoris inflammant, qui sic vulneratus est propter delicta mea, & propter scelera mea vehementer attrit⁹. Sed patere, obsecro, vt quod deinceps in filium tuū fieri viderim, edisseram.

M A. Violentus mihi es, fili Dominice, qui ad quālibet narrationem tuam in mœrore me afficis & dolore. Neq; enim sine cordis vulneribus vnigeniti mei plagas recēseo. dic tamen quid vidisti? DO. Cum flagris rex Angelorū esset vndiq; discerptus, raptus est à militibus in prætorium. Ego post horā clam locum ipsum ingressus, vidi (heu domina mea) vnigenitum tuū vilissima purpura vestitū, spineo sermo coronatum, arūidine quasi pro scepro derisum, sanguine respersum, & turpibus sputis contaminatum. Exhibebatur ei ab impijs quasi honor regius, sed in spinis & verberibus dolor verus. M A R. En reprimo defluentes lachrymas, vt tibi quid ista significant manifestem. Verū vt paulò altius repetam, vestibus Christus spoliatus est, vt tibi veterem hominem exueret, & nuditatem tuam virtutum vestibus adornaret. Flagellatus est, vt quæ mœueras æterna flagella, deleret. Sanguinem  
*fu dir,*

fudit, vt te roseo suo cruore balnearet. Spinis est coronatus, vt quæ te pungunt tentamina mitigaret, & gloria atq; honore conspicuum redderet. Vili purpura amictus est, vt stola te immortalitatis indueret. Falsò adoratus est, vt te æternus genitor honoraret. Consputus est, vt faciè tuæ mentis ablueret. Arundine est vacua irrisus, vt tibi solida & æterna sceptrâ donaret. In capite cæsus, vt caput animæ tuæ integrum custodiret. D O M. O quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! iam totus in eius inflammor amorem, qui tam indigna pro me sustinuit, & me suis lāgoribus reparauit. Animaduerto tamen hoc spectaculo humani generis ambitionē vehementissimè retundi. Nos miserī coronā & cydarim nostris capitibus imprecamur, Christus spineo sermo trāspungitur. Nos auro sericisq; libenter inuolui-mur, Christus vili purpura circumtegitur. Nos honorib<sup>9</sup> & sceptris delectamur, Christus inani arūdine deridetur. Nos laudes hominū concupiscimus, Christus in facie consputatur. Nos cum honore delicias quærimus, Christus & exhonoratur, & plagis afficitur. Sed væ nobis si in hac vanitate persistimus, & ad tantæ humilitatis exemplū impiam superbiam nō abdicamus. M A R. Optime tu quidē fili Dominice: Nūquàm enim



poterit homo ad Christi gloriã cõformari, nisi prius ad cordis eius humilitatẽ se conformet, se modifcet: sed ad reliqua propere mus. D O . Tu ipsa vidisti, mitissima virgo, quomodò hìc sacer vnicus tuus sic coronatus, sic cruētatus, sic viliter vestitus, vniuerso populo à præfide in derisum ostẽsus sit. Quomodò quoq; explosus sit , & reprobat, & clamoribus ad mortẽ turpissimã requisitus. M A R . Vidi hęc filii, & cõtabui, & præ nimio dolore tota dirigui. Verũ tu huius præsentationis agnosce mysteriũ. Cogita quæso in illo tremendo iudicio cũ quanto rubore ac formidine reprobĩ omnes summis Christi tribunalibus præsentabũtur. Verge electos suos dulcissimus miserator ab ista cõfusione & tremore præriperet, dignatus est contẽptibiliter præsentari, cõfundi, despici, reprobari. D O . O benignissimum redemptorẽ, & omni amore, atq; honore dignissimũ. M A . At nũc aperi paululũ oculos, & vide quàm confusibiliter Dei filius hìc præsentatur à præfide , & cum quanta maiestate præsentabitur à Deo patre. Hìc stat spinis transfossus , in illo examine videbitur gloria, & honore coronatus. Hìc stat vili veste contactus, illic multa erit luce circumdatus . Hìc stat plagis obsitus , liuidus, cruore respersus : illic sedebit conspicuus, lumi-

**luminosus, & multa maiestate coruscus.**  
**Hic ab omnibus contemnitur, exhibitur,**  
**despuitur: illic cum Angelicæ potestates, &**  
**omnes cælorum viuites reuerentur, ho-**  
**norabunt, & obsequentur. D O M. Quid tunc**  
**rogo Pilatus, quid Herodes, quid Cayphas,**  
**quid cæteri eius tunc hostes dicturi sunt?**  
**M A R. Istud certè: Ecce hic est, quæ aliquã**  
**do habuimus in derisum, & in similitudinẽ**  
**improperij, cuius tam inglorius aspectus ap-**  
**paruit cuius nos insensati vitam æstimaba-**  
**mus insaniam, quem nos pupugimus, & in-**  
**iusto iudicio condemnauimus. Quomodò**  
**nunc sublimis apparet, minax, & verè terri-**  
**bilis? cuius nunc maiestatis potentiã miseri**  
**sentimus, quem in humilitate positũ tam ir-**  
**reuerenter aspernati sumus. D O M I. Tuis**  
**meritis, hera dulcissima, ne in illo iudicio,**  
**prauorũ collegio, ad sinistrũ latus associer,**  
**obnixè te deprecor. M A R. Fiet quod exo-**  
**ptasti. sed iam progrediamur vltterius. D O.**  
**Tu interfuisti quando Pilatus clamoribus**  
**victus Iudæorũ, Deum iudicem vniuersorũ**  
**suis iussit tribunalibus assistere, in quem di-**  
**ræ mortis sententiã fulminauit, & ad cru-**  
**cis suppliciũ iniustissimè condẽnauit. Et ita**  
**egressus est à facie præsidis dominus maie-**  
**statis, portans super se sententiã acerbissi-**  
**mæ & turpissimæ necis. M A R. Heus ò**

A 4 Domini

Dominice, tu rursum permoues ad planctū omnia viscera mea. Est tamē vnde nō mediocriter in hac sentētia consolēris. Memorare quomodō primi parentes cūm Dei iusta contēpserint amara sunt mortis sententia percussū: repente vterq; audiuit, Terra es, & in terrā ibis. Terra quoq;, quæ spinosum hominē erat susceptura, spinas tribulosq; produxit: & Eva cū damno pudoris filios immensis doloribus generauit. At post quā Dei filius multa fretus miseratione mortis super se sententiā accepit, Adam cū sua sobole ad vitā redijt, & illi naturæ cui dictū est, Terra es, & in terrā ibis: nunc dicitur, Sede à dextris meis. Nunc spinis euulsis terra cordis nostri fructū germinat salutarem. Nunc quoq; mater Ecclesia non in dolore, sed in gaudio filios parit, quos parturiuit. D O M. Consolatus sum planè hoc tuo sermone, & spem maximā concipio, æternę mortis sententiā me euasurū, quādo iudex meus eam super se innocens accepit, & sua iniusta condemnatione meā iustissimā expiauerit. Sed nūc ad crucis suppliciū veniamus. Accepta igitur hac sententia omnipotens & celsissimus Deus, filius tuus, crucem in suis humeris accepit, & suam ipsius portans ignominiā, ad locū supplicij in medio latronum flens & ingemiscēs humilis properauit,

peravit, impijs illum propellentibus, irridentibus, verberantibus. **M A R.** Tristissimum nunc spectaculum obiecisti, & mille lachrymis prosequédū. Huic ego tunc mœsta interfui corde anxia, animo destituta. Sed intuere rogo quomodò benignissimus pastor pro suo grege se pergit immolare. Aberrauerat enim ovis illa ceterisima, & vetita gustando perierat. Quæ ergo in ligno mortem acceperat, per crucis lignum eam suus conditor requisivit, quæsitam reperit, repertam in suis humeris clemēs imposuit, & ad pascua æternæ viriditatis introduxit.

**D O M.** Amorem redolet quod dicis. **M A R.** Cerne ergo verū Helisæū ligno crucis ferum securis requirentem, quod immersum fuerat in profundis aquarū. Hoc lignū cum aquas passionū in Christo attigit, duro generi humano quod à ligno vetito in infernum ceciderat, per crucis lignū & aquæ baptismum sursum ad Paradyſi gaudia vnde corruerat adnatauit. Portat itaq; dominus **I E S V S** crucem suā, quasi rex suū sceptrū. Portat crucē, vt victor trophæū, qua principes deuicerit tenebrarū. Portat vt doctor candelabrū, in quo ponendum erat suæ doctrinæ luminarium: portat clauem, vt summus sacerdos, super humerum, vt ingredietur in sancta sanctorum. **D O M.** Alta mihi

A 5 huius

huius spectaculi myſteria oppādiſti, doctiſſima parens, quæ ſicut intellectū illumināt, ita etiam inflāmant affectū. Puto etiā dulcem habere rationem, quòd Simon Cyrenæus homo gentilis crucē baiulat poſt ſaluatorem. **M A R.** in hoc factò ſignificatur, quòd repulſa Synagoga, Eccleſia de gentibus ab iſtis humeris Chriſti crucē fuerat ſuſceptura, & in cruce vſq; in finē ſeculi permanſura. Verūm quia Simon obediens interpretatur. Hi reuera crucem cū domino baiulant, qui in ara obedientiæ quotidie ſemaſtant. Sed miraris, forſan, cur Dominus Chriſtus foras ciuitatem, foras muros mori delegerit. **D O.** Ided, vt arbitror, vt oſtendat virtutem ſuæ paſſionis infra terminos Iudaicæ gentis includendam non eſſe Non enim debet magnus redemptor paruo pretio ſtare cōtentus: & ided ſicut copioſa, ita & publica debuit fieri redemptio. Ad dexteram enim, & ad ſeuam penetrauit, & ſemen eius (vt ait propheta) gentes hæreditabit. **M A R.** Bene id arbitratus es. Tu quoque ſi fructum volueris conſequi paſſionis, egredere extra caſtra, mundū per affectū deſere, & ſic porta improperium eius. **D O M.** Iuſtè me adhortaris, diua parès: ſed auxiliare obſecro imbecillitatē meā. Verūm nūc ipſum omnium dolorum articulum attingamus.

**M A R.**

**M A R.** Quem tu illum dicturus es? **D O M.**  
 Ego hunc existimo maximū illi fuisse do-  
 lorem, cum nudus super crucem Rex glo-  
 riæ proiectus, membris omnibus extensus  
 est, & clavorū aculeis manibus pedibusq;  
 transfixus. **M A R.** Fateor verū esse quod di-  
 cis. Nā in retro supplicijs nihil tale haeste-  
 nus perpeffus est. Ego quoq; dū huius tor-  
 menti reminiscor, nō me capio præ dolore.  
 Malleorū enim & clavorū stridor mea ni-  
 mis viscera sauciarūt. Sed habes hīc integrā,  
 totius veteris hominis medicinam. **D O M.**  
 Quem tu veterē hominē appellas? **M A R.**  
 Adam, & suam progeniem. Legisti he apud  
 Esaiam, Omne caput languidū, & omne cor  
 mœrens: A planta pedis vsq; ad verticē nō  
 est in eo sanitas. Non hoc certè de nouo,  
 sed de veteri Adam debes accipere. Hūc er-  
 go tum meus filius vt sanaret, totū se aquis  
 pāssionis immerfit. Accepit enim vulnus,  
 in capite, vt intētionem (quæ animæ caput  
 est) in Adam sanaret. In manibus vulnera-  
 tus est, vt malas & remissas purget opera-  
 tiones. Pedes quoq; clavis obiecit, vt terre-  
 nas & sordidas in homine sanet affectio-  
 nes. Cor quoque lancea postmodū est  
 trāsfixum, vt noxias vanasq; abigat cogi-  
 tationes. Toto denique corpore extensus  
 & afflictus est, vt totum corpus nostrum,  
 hoc est

hoc est vita, & conuersatio nostra, sancta & lucida sit, nullam habens tenebrarū partē. Oculi eius tenebescunt in morte, vt auerterentur oculi nostri ne respiciant vanitatem. Aures eius multis complentur opprobrijs, ne aures nostræ ad pauperū clamorē obsurdescant. Sic clementissimus medicus, vt morbidum nimis hominē sanaret, ægritudinem eius in se trāssumpsit, vt dum vulneraretur in corpore, homo languidus sanaretur in mente, & inde animaretur ad vitā vnde vitæ dominus in mortē spontaneam cōmigraret. **D O M.** Verba quæ tu loqueris, & feruētissima lampas, sunt lampades ignis atq; flammarū. Verē beneplacitū est Domino in populo suo: Habemus enim illū pontificem qui possit non solūm cōpati infirmitatibus nostris, sed etiam velit eas in se transferre, expiare, mederi. Sed nunc ad erectum in cruce dominū, oculos subleuemus. Quid sibi vult rogo deuotissima virgo, quod Deus infinitæ maiestatis, quem potestates & dominationes contremiscūt, in medio duorum latronum delegerit crucifigi? **M A R.** An ignoras, quia primi parentes nostri pepigerant fœdus cum morte: & pactū cum inferno subierant? Videntes enim furem currebant cum eo. Hinc Esaias, & illorum inobedientiā, & perfidiā notans, Princeps,

nes, inquit, tui inobedientes socij fuerunt.  
 anc ergo impiã societate, vt Christus di-  
 alleret, & socios nos faceret Angelorũ, vo-  
 it vt latro cõprehendi, pro latrone Barra-  
 atõ reprobari, & inter latrones crucifigi.  
 O M. O amabilem inclinationẽ, qua po-  
 enti humilitate antiqui hostis superbiam  
 Christus confudit. Ille conabatur in cœlũ  
 ascẽdere, Christus dignatus est in cruce pen-  
 dere: Ille esse voluit Dominus Angelorũ,  
 Christus factus est socius latronũ. Ille nite-  
 batur esse sicut altissimus, Christus vt vi-  
 rorum nouissimus voluit æstimari. Ac pro-  
 inde verè dignissimus, vt in nomine I E-  
 s u omne genu flectatur cœlestiũ, terre-  
 strium, & infernorum. M A R. Fideli oculo  
 ista contueris, fili Dominice, & bene tibi sa-  
 pit humilitas Dei tui. Vidisti eius profun-  
 dissimã humilitatẽ, & contẽplare nunc dul-  
 cissimã bonitatẽ, qua pro suis inimicis cũ  
 lachrymis deprecatur. D O M I. Eja & nunc  
 flens recolo, quomodò confixus, extensus,  
 dissipatus, pro ipsis patrẽ exorauerit, dicẽs,  
 Pater ignosce illis, non enim sciunt quid fa-  
 ciunt. M A R. Hinc satis aduertis, quã be-  
 nigna, & verè dulcis illa anima fuerit, quæ  
 tantis amaricata doloribus, à pietatis offi-  
 cio non se potuerit cõtineri. Illi furijs ple-  
 ni clauos acriter infigũt, Christus cũ lachry-  
 mis



mis ipsis veniã deprecatur. Illi sacrilegũ ca-  
 put ante crucem exagitant, Christus eis frũ  
 reuenter inclinat. Illi lætis vultibus suas  
 poenas aspiciunt, Christus tristissimo vultu  
 illorũ insanijs miseretur. Illi subsannantes  
 irident, Christus super eos vbertim illa-  
 chrymatur. Illi inter latrones appensum, vt  
 scelestissimũ aspernãtur, Christus eos quasi  
 insontes patri excusare conatur. **D O M.** O  
 animã verè dulcissimã, quæ in tanta homi-  
 num insania tam benignam indulgentiam  
 exhibuit, & pro nostris persecutoribus exo-  
 rare nos docuit. Sed vidi dominaa, quod tu  
 quoq; ipsa vidisti, vultũ pēdentis fuisse tri-  
 stissimũ. **M A R.** Hæc mœstitudo vultus de  
 animi mœrore descendit. Multæ nanq; il-  
 lius tristitiæ rationes. Ego cruci eius geme-  
 bunda & mœsta vehementer assistens, do-  
 lorũ suorum pars magna fui: magis enim  
 meas, quàm suas angustias dulcis filius de-  
 plorabat. Videns ergo mei cordis amaritu-  
 dinem, videns quoq; saluandorũ paucitatẽ,  
 & de tantis beneficijs impiorũ hominũ in-  
 gratitudinem, tactus dolore cordis intrin-  
 secus mœstitudinem mentis, vultũ exterius  
 demonstrabat. Verũ huius tristitiæ gra-  
 tia exhilarantur in oleo vultus nostri, & ca-  
 put nostrũ inungimus, & faciem nostram  
 aqua sapientiæ salutaris diluimus. Hæc tri-  
 stitia

stitia eternā à nobis mœstitudinē excludit,  
 & ad gaudia mansura intromittit. **D O M I.**  
 Ecce audiui exultans huius abs te tristitiæ  
 rationē. Verū quid causæ est obsecro, quòd  
 in quinque corporis sui sensibus tā acriter vo-  
 luerit turbari? Aures enim eius audiebāt op-  
 probria, oculi ludibria, nares fœda sputami-  
 na, gustus acerba pocula, tactus spinarū &  
 clauorū acumina. **M A R.** Laudo te qui Dei  
 tui pro te patiētis tam exactè supplicia nu-  
 merasti. At nunc huius turbationis accipe  
 rationem. Nisi enim in suis sensibus Domi-  
 nus turbaretur, nunquā posses tuos ad  
 tranquillam reducere pacē. Nunc verò ces-  
 sat abs te vanus pruritus aurium, concupi-  
 scentia oculorum, illicitorum tactuum de-  
 lectatio, ciborum, odoramentorumq; volu-  
 ptas. Castificatis itaq; sub disciplina sensu-  
 bus tuis hoc magnum habebis in præmio,  
 vt in illo regno superno Deus tuo fit lumē  
 visus, balsamū olfactui, rosa tactui, citharā  
 auditui, & mel gustui. **D O M.** Optimè me af-  
 ficis benigna mater: sed quid rationis cōti-  
 net illa sui corporis vndiq; facta disruptio?  
 Pendebat enim cōscissus vulnere super vul-  
 nus, saucius, dissipatus, rubricatus. **M A R.**  
 Et tu ergo Dominice nota, vt facis, hoc ru-  
 brum reclamatorium. Habent enim aucu-  
 pes eum morem, vt cū aues venaticas ad  
 manum

manum cupiunt reuocare, quæ liberius vagantur, rubrū eis & cruore respersum reclamatoriu à lōge demōstrent. Aues itaq; escā arbitantes, ad nutū se reuocātis aduolitāt. Peccante primō parente totum genus humanum de manu auolauerat cōditoris. Sed vt posset homo vagabūdus, & erraticus reuocari, Deus vnigenitus meus sanguine cōpersum in cruce reclamatorium exhibuit, quò auolāres animas ad se reuocauit. Ostēdit enim cordium vulnera citò posse sanari, qui pro medendis vulneribus sic vulneratus fuit. **D O M.** Ita est planè sicut tu asseris. Libenter enim nos morbidi vulneratū amplectimur saluatorē, vt anima nostra refarciatur, & sanctas permāsura donetur. Sed quid sibi vult, rogo copiosissimus ille sacri sanguinis effluxus, qui de manū pedumq; vulneribus tāta vbertate descēdit? **M A R.** Legisti'ne quomodo Moyles vasa sanctuarij sanguine respersit, quodq; in lege penè omnia in sanguine mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio? Summus quoque Sacerdos semel in anno cum sanguine introibat in sancta sanctorum. Hæc omnia si volueris mystica ratione discutere, facile reperies, cur propitiator generis humani sanguinem suum voluerit in cunctis diffundere. Hic sanguis antiquam patris iram

iram mitigauit, Angelos ad pacem reduxit,  
 celos aperuit, tartara vacuauit, diabolum  
 confregit, & totius mundi peccata deleuit.

**D. O. M.** En iam licet nobis haurite aquas in  
 gaudio de fontibus vultuum saluatoris,  
 qui non in sanguine alieno, sed per propriū  
 sanguinem introiuit semet in sancta, vasa  
 sanctuarij, clementer aspergens, suo videli-  
 cet sanguine electorum animas repurgans.

Animaduerti præterea q̄ in cruce pendens  
 vnicus tuus brachia sua nimis indulgenter  
 expandit. **M. A. R.** Bene aduertisti: sed reco-

le, quæso, quomodo olim Adam inobediens  
 fugerit procul à facie Domini, irā veritus,  
 & vindictam. Ecce nunc dulcissimus mise-

rator brachia expandit, cupidus fugientem  
 recipere, susceptum completi, complexum  
 deosculari. Quantumuis magnus peccator

quis fuerit, cōsideret pietatem brachia ex-  
 pandentis, audiatq̄ vocem post tergū mo-

nentis, Venite ad me omnes, qui laboratis,  
 & onerati estis, & ego reficiam vos. **D. O. M.**

Suauem spirant amorem verba quæ dicis,  
 misericordiæ mater: sed & puto eandem si-

gnificare clementiam, quod manus pedesq̄  
 finit spiculis transfigi: vt ostendat scilicet,

nolle se redeuntem peccatorē, aut manibus  
 ferire, aut pedibus repellere. **M. A.** Bene id  
 existimasti. Scito tamen culpam nunc ma-

**B.** nuum.

num dereliquas ad poma noxia Adam primus extendit. Ille enim digitos expandit ad lignum veritum, Christus vero ad crucis supplicium, ut noxia usurpationem innocens poena conuelleret. Pedes vero Adæ & suæ sobolis præsto erant ad cursum mali operis, quos Dominus fecit in via consistere mandatorum, dum suos pedes patibulo affixit, ut iam clamare possit, Pes meus stetit in directo. n. o. Hinc planè nunc colligo, virgo Maria, quomodo vetus homo noster cum Christo crucifixus sit, ut destruat corpus peccati, ut ultra non seruiam? peccato. Hinc etiã colligo, quomodo trituratus sit Moab in cruce sub domino, sicut teruntur paleæ in plastro: & extendit manus suas, sicut extendit natans ad natandum, scilicet in modum crucis: manus enim diaboli sub Christi manibus sunt confixæ, quia per crucis mortem omnis ei nocendi potestas sublata est. Expoliavit quippe vniuersus tuus principatus, & potestates traduxit liberè, palam triumphans illos in ligno crucis. M. A. Prudenter hoc tu mysterium concepisti. Quod autem vidisti eum in cruce toto corpore longè lateque distentum, ideo id fieri benignus redemptor sustinuit, ut tu posses comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Ut sit longanimis

in

in aduersis, latus in operibus charitatis, sublimis in spe æternitatis, imus in timore humilitatis: cum nesciat homo, vtrum amore, an odio dignus sit. **D O.** Intellego mysteriũ. Cupio tamen profundius nosse, quid illa venarum omnium acerba distictio velit exprimere. Nam sicuti in cithara nerui, ita & in cruce saluatoris venæ protensæ sunt. **M A R.** Placet quod de cithara subinfers exemplum. Nam & cithara David, qua dæmonium à Saule pellebat, dominicæ crucis typum exprimit. Nerui in cithara disticti suaue resonat, ita & Dominus dulcem in cruce cecinit melodiam. In hac cithara crucis sunt ligna duo, tres clauis, & venæ corporis locum obtinēt chordarum. Plectrum verò lingua Christi est, quo septem notulas interiori capiendas auditu depromptit. Ecce habes, mi Dominice, citharæ exemplum, quod dedisti. **D O M I N.** Habeo fa-teor. Sed septem illas notulas quæso vt audiam. **M A R.** Notula prima fuit magnæ pietatis, quando me desolatam virgini Ioanni commendauit, dicens: Mulier ecce filius tuus. Secunda fuit miræ charitatis, quando in ipso omnium pœnarum seruore pro suis deprecatus est inimicis, Pater; inquit, ignosce illis. Tertia notula est misericordiæ, Hodie mecum eris in paradyso.

Quarta compassionis, dum corruptam in primis parentibus humanam naturam deplorat, dicens, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quorum enim assumpsit naturam, horum plangit & miseriam. Quinta fuit notula defiderij, quod expressit, dicens, Sitio, salutem scilicet animarum. Sexta humilitatis, & confidentiæ, dicens, Pater in manus tuas commendo spiritum meum: omnem honorem patri tribuens, non defectum virtutis, sed confidentiam, insinuat eiusdem se esse cum patre potestatis. Septima est notula perseverantiæ, ubi ait, Consummatum est: ut & nos opera iustitiæ usque in finem consummantes, mortem in cruce cum domino sortiamur. At nunc filii Dominice quoties te apprehendit humana tentatio hanc cum David citharam range, & dæmonium abs te citius effugabis. **D O.** Probè admones, christifera virgo, nam & hoc ipsum Esaias pollicetur dicens, In tympanis & in citharis & bellis præcipuis expugnabunt eum. Sed quid est, obsecro, quod dominus. **I E S V S** rauca & miserabili voce in cruce pendens exclamavit? **M A R.** Adam olim territus ad vocem Dei, in paradyso deambulantis ad auram post meridiem, conscius suæ nequitiae fugit, & abscondit se, & sub ficulneæ folijs latitavit. Hunc ergo pauidum ad veniam cupiens

**Dominus**

Dominus animare, voce lachrymabili Adæ  
 uinam miseriamq; deplangit dicens, Deus  
 meus quare dereliquisti me? Hanc vocem  
 transgressor obaudiens, de latebris exit cō-  
 sciētę, & ad spē indulgētię reflorescit. Atq;  
 idē etiam hæc vox alta & valida fuit, vt  
 internam cordis surditatem disrūperet, & al-  
 mi spiritus insufflationē admitteret homo,  
 olim ad diuina surdus & insensibilis. D O.  
 Multos (heu dolor) etiam post hūc clamo-  
 rem surdos aspicio, qui à veritate quidem  
 auditū auertunt, ad fabulas autem conuer-  
 tuntur. Sed hos dimittamus, tu mihi præsta  
 benigna parēs, vt audiam ego quid loqua-  
 tur in me dominus Deus. At nunc non sine  
 fletu meminisse possum lachrymarum Dei  
 mei in cruce plorantis. Nam & tu quoque  
 gemens vidisti exundantiam fletuum suo-  
 rum, cū tanquā e duobus fontibus ita  
 ab eius oculis lachrymæ profilirent. M A.  
 Hæ lachrymæ, fili, me sæpe in fletus maxi-  
 mos concitarunt. Plorans enim plorauit  
 in nocte, in scilicet Iudæorum cæcitate, &  
 lachrymæ eius in maxillis eius. Verūm hīc  
 etiam animaduerte benignissimam propi-  
 tatoris tui clementiā. Spinis spiculisq; trās  
 fossus, & mille vallatus angustijs, nihil ho-  
 rum memor, vestras potius clades, vestras  
 illachrymatur angustias. Nam filij Adam à



paradyſi ſedibus extruſi, & in hanc miſeriz  
vallē proiecti, multis quotidie replentur &  
vitijs, & miſerijs: ac tandē ( quod omnium  
grauiffimū eſt ) hinc expulſi per mortē æ-  
ternis incendijs immerguntur. At dominus  
Ieſus filius meus miſertus ſuper magnitu-  
dine mali, in hanc vallē miſeriz vltro de-  
ſcendit. Et hominis miſerias in ſe recipiēs,  
ſanguine & lachrymis expiauit. Hæ lachry-  
mæ igneas malarum cupiditatū catenas ef-  
fringunt, hæ lachrymæ lapidea corda per-  
mollunt: hæ lachrymæ æternas ambuſtio-  
nes extingunt, & refrigeria manſura confi-  
ciūt. **D O.** Verè in indulgentia ſua ( vt cōci-  
nit Eſaias ) redemit nos legiſer noſter, & rex  
noſter, & leuauit nos cunctis diebus ſeculi.  
Sed væ nobis filijs Adā, qui hīc ridemus, &  
ludimus, & illudimus lachrymas Dei noſtri.  
Ipſe noſtras calamitates illachrymatur, &  
nos more amantiū freneticorū ſanos nos ar-  
bitramur, cū ſimus miſeri, & miſerabiles,  
æxi, lāguidi, vlcerofi. **M A.** Cōprime parū-  
per Dominice zelū tuum, & ſi quid aliud in  
cruce vidifti quod te permouet, ediffere.  
**D O.** Mouit me, fateor, facies illa pendētis,  
pallida, exanguis, malicenta. **M A.** Et me  
quoq; nō mediocriter mouit. Vehemētē  
tamē hīc pallor amorē exprimit redimētis.  
Palleat omnis amans, ( ait ethnicus quidā )  
color

color est hic aptus amanti. At quoniã spon-  
 sus sponsam suam ( Ecclesiã dico ) vnice ad-  
 amabat, hunc amorẽ ostendere voluit pal-  
 lore vultus, exesaq; macie. DOM. Decet  
 etiam hic pallor omnem verẽ Deũ aman-  
 tem Christianum, quẽ efficit & ciborũ par-  
 citas, & studij disciplina cœlestis. Verunta-  
 mẽ his lachrymis, his palloribus miserator  
 noster I E S U S Christus suspiria iunxit, ge-  
 mitus, & singultus, qui de illius dulcissimo  
 diuinoq; pectore erampebant. Tu rogo  
 Christifera virgo horũ gemituũ astrue ra-  
 tionẽ. M A. En & ipsa nunc quoq; lachry-  
 mas retinere non possum. Noueris tamen  
 eandẽ esse rationẽ gemituũ, quæ & lachry-  
 marũ. Tu nosti (dicente Esais) quod Deus  
 posuerit in eo iniquitates omniũ nostrorũ.  
 Has itaq; super se recipiẽs, cõtritione per-  
 maxima, suspirijsq; & lachrymis penitus  
 expiauit. Non enim suffecit optimo propi-  
 tiatori mundi peccata solis corporis tormẽ-  
 tis, & pretiosi sanguinis effusione delere,  
 nisi etiam cordis dolores amarissimos pro-  
 eis, benignẽ assumeret, & infinita con-  
 tritionis amaritudine se mactaret. Iã aduer-  
 tis (ni fallor) quæ sit horũ singultuũ propin-  
 qua ratio. Tã ingens enim & profunda fuit  
 cordis eius cõpunctio, vt nõ nisi ingemisce-  
 re potuerit, & lachrymari. D O. O viscera

nunc Dei nostri, qui pro sua creatura ingemiscit & dolet: malitq; peccata nostra cum sua amaritudine expiare, quam iustè punire! Sed quid rogo cause est, quòd se sitire tā anxie proclamauerit? **M A** Sitis ista cupiditatū tuarū sitim extinguit, vt in reliquū sitiat anima tua ad Deū fontē viuū. Quā perditē Adā sitiuerit, Dei sapientiā ambiēs, & maiestatem, ex Genesi satis id nosti. Inde etiā Adā soboles secum hant sitim quasi funiculū trahens, in modicis semper illecebris exæstuat. Hanc ergo sitim Christus vt extingueret, & mellifluos perēnis dulcedinis fontes aperiret, sitire voluit, & amaro fellis poculo fatigari. **D O**. Nūc satis intelligo, hac siti atque hoc felle primæ matris usurpata conuiuia, & diram pomorum esuriem explari. **M A**. Bene intelligis, atq; idē etiam cū vnigenitus meus hunc potum summis labijs attigisset, dixit, Consummatum est ostendēs ingluuiei culpam acerbo felle terminatam. **D O M**. Hoc poculum cū accepisset Dominus, vt ostenderet se omnia cōsummasse, inclinato capite, tradidit spiritum. Rogo nūc te intemerata genitrix, ediffere mihi huius inclinationis & mortis sacramentum. **M A R**. Quod requiris Dominice in prōptu est. Ista humilis diuinitatis capitis inclinatio humani generis instē erectam

erectam superbiam deprimat, & deflectit. Ambulabant enim filij Adā contra Deum erecto collo, & pingui ceruice se armabant. Sed misericors atque humilis Christus hāc superbiam sanatus caput patri reuerenter inflectit, ita corpore, vt corde se submittes. Optauerat præterea olim sponsa in Cantibus osculari osculo oris sui. Quis ait, mihi det te fratrem meum suggestem vbera matris meæ, vt intueniam te foris, & deosculer te, & iam nemo me despiciat? Tunc reuera foris frater Christus inuentus est, quando extra urbem eiectus, in monte palam crucifixus est. Osculum itaq; diu quæsitum sponsa suscepit, quando Christus porrigens, caput in ligno deflexit. Caput etiam inclinat, vt perpessi ponderis ostendat grauitatē, vt suam nobis ingerat paupertatē, vt de consummata passione patri exhibeat gratitudinē, & vt ad se clamatiū vota propitius exaudiret. Cur autē mori voluerit, non opus est vt sollicitus inquiras, cum certum habeas, mortē aeternam sua morte conuelli: & post vitam hęc datam gratiæ, vitam illic perpetuam reuelari. **D O M.** Optimè te imbuete, pia virgo, resectus sum. Nunc abs te didici omnia quæ constat filiū tuū aut egisse, aut perperessuro esse, amorē, humilitatem, clementiam maximā redolere. Atq; in eandē

**B s credo**

credo venire dulcedinem, quòd post acceptam mortē latus suum militari lancea voluerit transpungi, vt scilicet per vulnus lateris amor patēceret cordis. Nam & ipsa lancea ad cor vsq; processit. **M A R.** Nunc palam intelligis, non habere filios Adam quod querulentur, parady si sibi ianuā obseratam esse. Ecce alia illis ianua patet lōge illa dulcior, amœnior, fructuosior, Per hanc ingredi possunt ad cor saluatoris, à corde ad animā, ab anima in diuinā claritatis abyssum, vbi nō tēporales, sed qui non marcescāt fructus suauissimi decerpātur, vbi serpens deceptor nullus pertimescitur, vbi nemo aut expellitur, aut contristatur. In hanc cauernam quoties tentaris, ingredi, illic abscondere donec transeat indignatio. **D O.** Delector, mihi crede, in verbis Gratia, qui procedūt de ore tuo. Non iam frustra Adā subter cōsuta perizomata se timidus abscondat ab ira Dei, habet nunc aliud latibulum multò securius, latus faucium saluatoris. Sed antequam ad sepulturā Domini veniamus, oro te ò sanctissima, vt me doceas, quid tres illæ cruces significant, in quibus cum latronibus est appensus. **M A R.** Tres cruces tria martyria sunt Malorum, scilicet hominum, Pœnitentium, & Perfectorum. **D O.** Pœnitentes, & Perfectos homines in

cruce

cruce pendere minimè dubito: sed quo pacto reprobi crucē habeant, nequeo comprehendere: præsertim cū ipsi lætentur, dum malè fecerint, & exultēt in rebus pessimis.

**M A R.** Ita 'ne excidit tibi quod in libro Sapientiz ipsi de sua cruce confitentur? Ambulauimus (aiunt) vias difficiles, & in via iniquitatis & perditionis lassati sumus. Hic remias quoq;, Vt iniquè agerent, inquit, laborauerūt. Et Esaias: Impij quasi mare feruens, quod quiescere nō potest. Et Sapiens, Sēper præsumit sæua perturbata conscientia.

**D O.** His testimonijs contradici nō potest: sed ipsam crucē Malorum velim agnoscere.

**M A.** Superior pars huius crucis est Superbia, qua laborāt miseri, vt alijs dominantur. Inferior pars crucis est Luxuria qua tanquā in stercore volutantur. Cōputrescunt enim iumenta in stercore suo. Dextrū cornu Auaritia, vt diuitiz cum sudoribus acquirantur. Sinistrū Inuidia, vt de bonis aliorum crucientur.

**D O.** Vidi mater funestissimam crucem, sed putabimus 'ne eos ab hac cruce in paradysum conscendere?

**M A R.** Imò verò in infernum demergi, vt de cruce transeant ad crucē, & ab armis ferreis incidant in arcum æreum. Sed nunc alias duas cruces transeo breuiter. Crux Pœnitentium habet quatuor cornua, scilicet Contritionem,

nem, Elongationē, Ignoscibilitatem, Restitutionē. Ab hac cruce in paradisum cū iusto latrone conscenditur. Crux verò Perfectorū, in qua Christus defigitur, hæc habet cornua, Timorē, Laborē, Aduersitatē, Contem-  
 plationem. Sed cupis forsitan fructuosius aliquid de his crucibus nosse. D O. Cupio, ò mitissima, si dignaris. M A. Habes penes te, Dominice, tria quæ te crucifigere oportet, Spiritū, Carnem, & Mundū. Spiritū cum Christo, carnem cum latrone dextro, mun-

Crux spiritus. **spi** dum à sinistris cū impio. Crux spiritus est feruor deuotionis, cuius sunt cornua, amor, spes timor, & dolor. Crux carnis rigor est disciplina, cuius sunt brachia, vigilia, abstinentia, asperitas vestium, disciplina verberum. Crux verò qua mundus defigitur est paupertas spiritus, cuius sunt cornua, contemptus gloriæ, pecuniæ, patriæ, parentelæ. Habes iam, vt arbitror, sufficientem de his crucibus instructionem. Sed quæso te, mi Dominice, qui te asseris in cruce vidisse dominum, me quoque matrem eius sub cruce assistere non vidisti? D O M. Quid 'ni viderim, ò mitissima mater? Neque enim nunc quidem eius possum visionis sine gemitu meminisse. Vidi nempe te sub cruce pallidam, exanguem, miseram, deiectam, tremebundam, & mille doloris gladijs  
 trans-

transuerberat. Cum verò saucius & extin-  
 ctus recuberet in sinu tuo vnigenitus tuus,  
 animaduerti te immensis fletibus exundan-  
 tem, & plagas eius innumeris lachrymis di-  
 luentem. Hæc dum ego cernerē compatie-  
 batur tibi omnia viscera mea. **M A R.** Ego Cur Ma-  
 dum opportunū fuerit munerabor tibi pie-  
 ritia sub-  
 tatem istā, Noueris tamen me in passione cruce, &  
 filij typū Ecclesiæ tenuisse. Hæc enim cum in sepul-  
 sponsa sis Christi, & eius sanguine redēpta, tura.  
 & redemita, debet eius cruci assistere, lachry-  
 mas doloris effundere, sinu pietatis repau-  
 sare, vnguento deuotionis illinere, syndone  
 castitatis inuoluere, cordis hospitio sepe-  
 lire, ne peccatū introeat, os sepulchri præma-  
 nire. Facile enim Christus amittitur, si per-  
 fidē reseratur ingressus. **D O M.** Non segni-  
 aure hæc abs te pia virgo recipio. Sed nunc  
 quæso ad sepulturę mysterium gradiamur.  
 Neq; sine mira ratione est, cur Deus om-  
 nipotens, & maiestatis immense crudeli  
 morte perfunctus. linteaminibus voluerit  
 obuolui, & tanquā cadauer putridū cū mor-  
 tuis sepeliri. **M A R.** Legisti apud Esaiam. Cur do-  
 Dominū dicētem, In indignatione mea per-  
 cussi te, & in reconciliatione mea misertus pul-  
 sum tui. Graui enim indignatione Adam, &  
 sua proles percussa est, quando dictū est eis,  
 Terra es & in terram ibis. Verūm in recon-  
 ciliatio-



ciliatione magna Dominus misertus est eis, quando, vt hanc sententiam solueret, in corde terræ ipse voluerit sepeliri, Quid nūc murmurat homo viuēs pro peccatis suis. Ecce quicquid Deus homini pro scelere instituit perferendum, misericordia motus vltro sustinuit, vt vsq; ad miserabilem descenderit sepulturā. D O. Incalesco mater ex his quæ tu loqueris. M A R. Est tamen, vt idē asserit Esaias, sepulchrū istud admodū gloriosum. Nā iste in tumulo Dei sopor à mortis somno corda mortaliū excutit, hīc sopor dæmonis super nos vigilantia obdormiscere facit, hīc sopor ad vitæ gratiam nos restituit, hīc sopor ad vidēdā Dei gloriā cordis nobis oculos resoluit. Nec vacat magno sacramento, q̄ hoc diuinum corpus iacet in tumulo, multo vulnere sauciū, ponderosum, obscurū, spinis spiculisq; transpunctū, vt tu haberes in illa resurrectione corpus impasibile, mobile, & instar solis subtile, perspicuum, luminosum. Noueris tamen nemini hanc gloriā tribuendam, nisi qui veterem hominē Christo consepeliet, vt mortuus peccato, viuat in Dō. Et sicut Christus surrexit in gloria patris, ita & ipse perambulet in nouitate spiritus, non in vestitute morituræ carnis. D O. Sacramentū quod nunc aperuisti, & sapientissima, re-

ma, verè magnum & sublime est. Donet mihi tuis meritis Deus, vt sicut quæ dixisti potui intelligere, possim & opere cõplere, & pleno corde diligere. **M A R.** Ecce quæ à me quæristi passionis mysteria, et si nõ ad liquidũ omnia, quæ tamen pro tempore commodius dici poterant, libenter aperui. Verũ vt me tibi beneuolã fuisse ac munificam gratuleris, in admirabile quoddã huius passionis lumen te introducã, quod & oculos tuos illustret, & affectum vehementer inflammet: sequere me. **D O M I.** En sequar te quocunq; ieris. **M A R.** Pulsa ad ostium istud, & ingredere. **D O M.** Ecce aperui, & ingressus sum. **M A R.** Quid tu vides? **D O.** Video heus rursus saluatorem in sua cruce pendentẽ. **M A R.** Nihil ne amplius vides? **D O.** En video ab eius vulneribus conspargi lucidissimũ iubar, quod mihi aciẽ mentis diuerberat, & internos confundit obtutus. Tu mihi rogo hanc refulgentiã tẽpera, & quid videre debeam dignanter oppande. **M A R.** Hoc quod de crucifixo lumen egreditur, quorsum tendit? **D O.** Video illud in septem radios diffundi, & nescio quæ olim incognita cupere demonstrare. **M A R.** Aliquid vidisti: at ne diutius te fatigem, noueris in toto vniuerso septem hætenus res occultas fuisse homini, quas hoc lumine quod  
de cru-

de crucifixo profuit, sole clarius poteris in-  
 Nota se- tueri. DO. Et quæ sunt obsecro hæc septem-  
 ptem ha- hæctenus ignorata? M A R. In hanc caligi-  
 etenus in nosam noctem dum versaretur genus hu-  
 cognita. manū, ignorabat quid Deus, quid Spiritus,  
 quid Mundus, quid superus Paradysus, quid  
 Infernus, quid Peccatū, quid Virtus. At Chri-  
 stus Dei filius (sicuti nunc cernis) septē luci-  
 dissimos de se spargit ardores, quibus hæc  
 intuenti cognita efficiantur. Vis igitur nos-  
 se, Dominice, quid sit Deus? D O M. Cupio  
 domina vehementer. M A R. Apisce in cru-  
 ce confixum Dei filium : hinc monstrat tibi  
 Deum esse inscrutabilis sapientiæ, qui hæc  
 passione diabolū scellit : Deum esse irre-  
 præhensibilis iustitiæ, qui pro satisfactione  
 iustum redēptionis pretiū requisivit : Deum  
 quoq; esse inexhaustibilis misericordiæ, qui  
 pro nostris delendis iniquitatibus seipsum  
 in mortē tradidit. DO. Ecce te adoro dignif-  
 sime, & dulcissime redēptor, qui in hoc lu-  
 mine passionis tuæ mihi diuinitatem aperi-  
 re dignatus es. Nunc enim agnosco, quod  
 pro tua sapiētia plurimūm es admirandus,  
 pro tua iustitiā humiliter reuerendus, pro  
 tua misericordiā dulciter amplexādus. I S-  
 S V S. Accepto Dominice, & gratā habeo  
 deuotionem tuam. At nunc ex mea passio-  
 ne cognosce, quid sit Spiritus rationalis,  
 nam &

nam & hoc quoq; (vt mea mater asseruit)  
 hætenus homini mansit incognitū. Trifa-  
 riam nepe, Spiritus rationalis diuiditur: Est  
 spiritus Angelicus, spiritus Humanus, spiri-  
 tus Diabolicus. Intellige. nunc, Spiritus An-  
 gelicus quàm sit benignus, qui me suum re-  
 gem, suum gaudiū pro humana pertulit sa-  
 lute spiculis configi. Quàm sit Humanus  
 spiritus dignus, & sublimis, pro quo redimē-  
 do amara voluerim morte defungi. Quàm  
 sit teter, acerb<sup>o</sup>, & crudelis Spiritus diaboli-  
 cus, cuius nequissima suggestionē in hac  
 cruce defixus fui. DOM. Hac luce perfusus  
 mississime Domine, agnosco sanctos Ange-  
 los esse ab homine diligēdos, humanos spi-  
 ritus ad iustitiam inuendos, tetros verò  
 totis nixibus fugiendos. I E S V S. Vnde id  
 agnouisti? Verū nunc ex mortis meæ lumi-  
 ne aspice, quid sit mundus. Intuere quæso,  
 mundani homines quā fuerint cæci, qui me  
 veram Dei lucē agnoscere noluerūt: dilexe-  
 runt enim magis tenebras quā lucē. Intue-  
 re etiā quàm sint steriles, qui caduca am-  
 biētes, me quasi inutilē cōtēpserunt: quàm  
 sint reprobī & iniqui, qui me Deum glorię  
 crudeliter peremerunt. DOM I. At nunc  
 video, ò mi Domine, quod etiā flens dico,  
 quoniam vsq; in hęc horam in secularibus  
 personis hæc nequitie perseverant. Nam

C te suum

te suum propitiatorē nō respiciunt, tuos pa-  
cis & iustitiæ fructus prece non ambiunt,  
& te rursus suis iniquitatibus crucifigunt.  
**I E S V S.** Verum dicis, fili Dominice, & hic  
ingens & assiduus dolor cordi meo, cum  
nunc tā ingratos & aduersos à me cunctos  
intueor. Sed nunc ad quartū, quod clausum  
erat, obtutus tuos defigito. Respice igitur  
quomodò mea passio tibi aperit, supernas  
quid sit parady sus. Nam si tormēt a quæ per  
tuli diligenter inspexeris, videbis Parady-  
sum fastigium esse totius gloriæ, spectacu-  
lum omnis lætitiæ, & promptuarium infini-  
tæ opulentia. **D O M.** Tuo dono illustratus  
intelligo, piētissime saluator, quod in pas-  
sione idēd volueris nouissimus hominum  
æstimari, vt nos ad fastigium gloriæ subli-  
mares. Idēd summè innocēs voluisti vt re-  
probis aspernari, vt nos reos immensa cum  
vultu tuo lætitia compleres. Idēd tanta pau-  
pertate, qui ditissimus es, fatigari, vt tua  
nos regni tui opulentia diuites faceres. Sed  
quis te quibit pro hac tua charitate dignis  
efferre præconijs? **I E S V S.** Verum nunc,  
fili Dominice, quintum quod nesciebat  
mundus Infernus est, locus vtique plenus  
egestate & penuria, locus plenus vilitate &  
ignominia, locus plenus acerbitate & mise-  
ria. **D O.** Certissimè ita esse considero. Nam

Parady-  
sus.

Infernus.

vt à nobis, dulcissimè miserator, auerni e-  
 gestatè excluderès, idèd pauper, nudus, sici-  
 bundus in cruce defigeris. Vt à nobis infer-  
 ni ignominiã remoueres, multis tu probris,  
 vituperijs, & ludibrijs fatigaris: & vt gehem-  
 nã æterna à nobis supplicia diuelleres, post  
 innumera tormenta æerbissima morte per-  
 funderis. Sed vq; his, qui post conclusa tarta-  
 ra rursus sui se illic iniquitatibus immer-  
 gunt. I E S V S. Congratulor fili lumini  
 tuo, dignus qui dno reliqua olim ignorata  
 cognoueris. Sextum itaq; clausum homini  
 est ipsa Virtus. Ex hac mea passione agno- **Virtus.**  
 sce, quoniam virtus est pretiosa, est & fru-  
 ctuosa. Est enim pretiosa, quia malui vi-  
 tam amittere, quàm iustitiam non exequi,  
 quàm non exhibere obedientiã, humilita-  
 tem, misericordiã. Est etiam speciosa, quod  
 si quoq; mea mater agnoscis, cum videris  
 eam relucere in contumelijs, in ludibrijs  
 elarescere, in tormentis victoriã obtinere.  
 Est quoq; fructuosa, quia tartara confre-  
 git, cœlos aperuit, patrè mitigauit, peccatũ  
 explosit, & perditam omne restaurauit. D.O.  
 Hinc animaduerto, mitissime redemptor,  
 cum quanto labore virtus à nobis sic expo-  
 tenda, adamanda, custodienda. I E S V S.  
 Postremum quod erat homini occultum  
 ipsum est nequissimum Peccatum. Nunc Peccatũ  
 pruden.

prudenter, fili animaduerte, quàm detestandum sit omne peccatum, cum ad eius expiationem necesse fuit committi tam graue piaculum, poni tam nobile pretium, tam difficile medicamentum. Habui enim ego crudeliter perimi, vt posset peccatum in meis electis occidi. D O M. Magna dignatio tua, suauissime Deus. Sed vae nobis miseris, post tam difficilem peccati expiationem tam libenter rursus peccatis inuolui mur qui te Dei filium conculcamus, qui sanguinem tuum pollutum ducimus, qui spiritui gratiæ contumeliam facimus, & veteribus delictis noua quotidie cumulamus. Ex hac tua passione Domine sicut peccati magnitudinem, ita & eius inexpiabilem poenam agnoscimus. Delinquentibus enim nobis post acceptam tantæ miserationis indulgentiam, iam non relinquitur pro peccatis hostia. Non quòd peccans, si doluerit, non possit passionis tuæ adiutorio vti, sed quòd rarissimè poeniteat, qui tantam gratiam superba ceruice contempserit. Sed nunc habeo immortales gratias dignationi tuæ, sapientissime saluator, qui me tua passione redemisti, qui tuo me lumine irradiasti, qui me vniuersalem rerum omnium notitiã mihi clarissimam tribuisti. Tibi quoq; mitissima parens, grates refero sempiternas, quæ

mih

mihi passionis huius mysteria aperuisti,  
 quæ me in hanc lucis gloriam intromi-  
 sisti, & vnigenitum tuum mihi tam propi-  
 tium & beneuolum effecisti. Sed quæso te,  
 vt mihi hîc tecum liceat permanere, nam  
 bonum est mihi hîc esse. **M A R.** Maiora  
 tibi, mi Dominice, & sublimiora, si iustè vi-  
 xeris, præparantur. Interea nunc perge ad  
 fratres tuos, & quod in hoc conclauis clam  
 vidisti, palam cunctis ediffere: & lumine,  
 quo plenus es, alios illustrare consuesce. Si-  
 cuti enim maledictus est, qui frumenta ab-  
 scondit in populis, ita & qui lumen occul-  
 tat in tenebris. Perge ergo, & quod in aure  
 audisti, prædica super recta. **D O M.** Fa-  
 ciam quod hortaris. At nunc dulcissima vir-  
 go optime vale, & me tuo vnigenito  
 charissimum redde. **M A R.** Et  
 tu fili Dominice vale, &  
 nostri in te benefi-  
 cij memorem  
 face.

\*

FINIS.

C 3



# LECTORI BENEVOLO

Theobaldus Paganus S.



Abes hic (amice Lector) ad  
operis huius calcem ex alio  
autore Dialogos duos ep-  
prios, et uenustos de cog-  
nitione sui ipsius: quod omnium difficillimum  
(nec iniuria) existimabat magnus ille Vir  
Socrates. Ceterum ea gratia hoc adiunxi-  
mus (consilium enim nostrum ad promo-  
uenda tua studia intelligas, uelim) ut epi-  
tomen quandam omnium eorum ad que li-  
bri inscriptio pertinet, et ueluti breue  
compendium habere posses. Hoc quale-  
cunq; est, ut equi boniq; consulas  
etiam atq; etiam rogo. Bene Va-  
le Lugduni, Ex Calco-  
graphia tua Idi-  
bus Iulii.

NOSCE TE IPSUM,  
DIALOGVS.

REINERVS, STEPHANVS.

**A**Vdin'tu homo sapientissime? **S T E P.**  
Sapientē quid me appellas? **R.** Nam  
semper tertius vis cēseri Cato. **S T.** In hoc  
falsus es, sed omne saxum moueo, vt olim  
pueriliter desipiam. **R.** Age, dic, quid o-  
mnium rerum humanarum est. difficilli-  
mum, & quod minus faciūt homines? **S T.**  
Noscere se ipsum. **R.** Non noscunt homi-  
nes se ipsos? **S T.** Non. **R.** Tamē quisq;  
sui nominis est cōsciū proprij. **S T.** Istud  
non est se ipsum noscere, **R.** Ecquid tum  
est se ipsum agnoscere? **S T.** Est in se de-  
scendere, vt inquit Persius. **R.** Iuxta, & il-  
lud malè capio. **S T E.** Noscere se ipsum,  
aut in se ipsum descendere, est per propriā  
conscientiam iudicare, & perpendere, qua-  
lis sit, albus, an ater, doctus an imperitus,  
melior alio, an peior & vitiosior. **S T E P.**  
Quis illud posset? **R.** Facilē quisq; face-  
ret, si nō se ipsum cæco psequeretur amo-  
re, & plus crederet hominum de se opinio-  
nibus, quā suæ conscientiaē, quod Persius  
prohibet, dicens: Tecum habita, vt noris,  
C 4 quā

quàm sit tibi curta supellex, Neq; in præcedenti spectes manticam tergo. s τ. Et illud obitcurius est, quàm vt intelligere queam, nisi enucleatius dixeris. R. Iubet Satyricus ipse Persius, vt quisq; suam consulat conscientiam, noscatq; quantum criminum habeat, non vsq; aliorum iudicet, cogitet, & mordeat vitia. s τ. Mirum, vn de illa hominũ Philautiavel sui ipsi amor? R. Innata est proculdubio, attamen ratione est comprimenda. s τ. At difficilè est ingenitam expungere naturam, nãq; licet expellas furca, tamen vsq; recurret, natura enim arti præualet. R. Nihilominus sapiens dominabitur astris, sua scilicet sapiëntia aëtorum cœlestiũ inclinationi resistet, illámq; refrenabit. s τ. Se ipsum cognoscendi posset ne lex quædam præscribi? R. Vtiq;, Plato ille diuinus huiusmodi præscribit modum, dicens sub persona Socratis ad Alcibiadẽ, Si anima hominis se ipsam agnoscere velit, in animam intueatur oportet, & in eum animæ locũ, in quo est virtus animæ, scilicet sapiëntia. Nihil autem animæ humane similis est, & in quo se ipsum cõtemplari possit, quàm Deus & sapiëntia. s τ. Quæ igitur anima se ipsam cognoscet? R. Ea quæ in Deum & sapiëntiam sese totam exerit & exercet. s τ. Cognoscet ille se ipsum

ipsum his duobus qui deditus fuerit, Dei & sapientiæ cognitioni siue studio? R. Sic Socrates Alcibiadi persuadet, Ea nãq; sola & certa sit nostra prudentia, vt cognito in primis Deo, tum sapiëntia enitamur nostra & bona & mala quanto discrimine distent intelligere.

*Quicquid boni agimus dijs acceptum referre oportere.*

PAVLVS, QVINTINVS.

**Q**uid conabimur interim dum hęc de-  
 sidemus? Q. Id quod tibi visum  
 fuerit frugiferum. P. Non decebit & ocio  
 sos & silētes nos inuicem, ac si bruta esse-  
 mus muta intueri. Q. Negocij vel operis  
 quid agitabimus? ne otiosi reperiamur. P.  
 Colloquamur nonnihil literarij & lepidi,  
 quo & hilariores & eruditiores mutuis re-  
 sponſis euadamus. Q. In tuam eo senten-  
 tiam. P. Age, responde. An quisquam boni  
 operis aliquid suis possit exequi viribus?  
 Q. Nihil, sic nãq; & prophanæ & sacræ te-  
 stantur literæ, inter cæteros tamen Bias  
 Prienensis prorulit. Quicquid boni feceris,  
 ad Deos transferendum esse. P. Verè di-  
 xit, nam & antiqui quid incepturi, auspicia  
 sumebant, aut oracula consultabant Deo-  
 rum,

rum, iudicaturi omnia à Dijs dependere.  
 Q. Quod res est, ais, nam & Aristoteles ab  
 ente entium, putà Deo, asserit omnia depen-  
 dere entia creata, illorumq; opera, actus, &  
 durationem. P. Plato in dialogo de San-  
 ctitate ait: Nihil in nobis bonum est, quod  
 Dij non præbeant. Q. Sacris literis conso-  
 nà dixit. Illæ enim asserunt, Omne bonum  
 est de sursum, à patre luminum, apud quem  
 non est mutatio, nec vicissitudinis obum-  
 bratio. P. Cùm verò omnia à Deo, vel  
 Dijs accipimus, quò nam vos illis exhibe-  
 mus vicissim gratos? Q. Respondet Plato:  
 Dona nostra illis vicissim offeremus. P.  
 Quæ? Q. Honorem, venerationem, & gra-  
 tiam. P. Satis diuinitus loquutus est, non  
 potuisset Christianus prudentius respon-  
 disse. Q. Quicquid ergo boni feceris, ad  
 Deos, vel ad Deum referendum est, nihil  
 tuis viribus ascribendo, quasi illis solis fre-  
 tus, egregiè quid feceris, per nos enim (vt  
 sacræ testantur literæ) impotentes sumus  
 ad aliquid boni faciendum. P. Mali & ini-  
 qui si quid egerimus, cui imputabimus?  
 nobis ne? Q. Viribus nostris, nō ad Deos,  
 vel Deum id transferendum, tanquam au-  
 thores peccare nanque, aut mala perpetra-  
 re, potius est imbecillitatis, quàm potentia.  
 Imbecillitas verò humanæ naturæ est, non  
 diuinæ.

422  
diuinæ, P. Ex nobis ideo, quòd male fa-  
cimus, habemus: quod verò bene agimus,  
ad Deum censere esse transferendum? Q

Augustinus de Baptismo paruulorù in-  
quit: Si à me quærat, Vtrum homo  
sine peccato poterit esse in hac  
vita? Confiteor posse, per  
Dei gratiam, sed li-  
berum quidem  
suum non ha-  
bere arbi-  
trium.

**F I N I S.**















